AUTHOR:

TSCHIERSCH, WALTHER

TITLE:

DE ARNOBII STUDIIS LATINIS

PLACE:

IENAE

DATE:

1905

Master Negative #

92-80514-5

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Tschiersch, Walther, 1879-
De Arnobii stvdiis Latinis; dissertatio philologica qvam scripsit... Gvaltervs Tschiersch... Ienae, typis G.Nevenhahni, 1905.
43 p. 26½ cm.

Thesis, Jena.

Volume of Pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-26-92 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DE
ARNOBII STVDIIS LATINIS

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

GVALTERVS TSCHIERSCH
COSTRINIENSIS

IENAE
TYPIS G. NEVENHAHNI
MCMV

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Dr. Goetz.

JENA, den 25. Januar 1905.

Professor Dr. Eucken,
d. Zt. Dekan.

PRAEFATIO.

Scriptores Africos II. et III. saeculi p. Chr. n. velut Frontonem Gellium Apuleium Tertullianum Cyprianum Arnobium ratione dicendi usos esse insolita et ab aliis cum eiusdem temporis tum prioris diversa nemini viro philologo non notum esse arbitror. Quibus auctoribus ut aliae sunt communes quaedam generis scribendi proprietates ita maxime insigne ac peculiare est studium verborum exoletorum priscarumque locutionum. Quamquam quomodo sit explicandum ac definiendum hoc studium viri docti in contrarias partes abierunt, cum alii proprietatem quandam nativam et insitam africitati', quam vocant, vindicare conarentur, alii potius ad meras artes rhetoricas revocantes hunc sermonis colorem omnino negarent vulgare aut populare scribendi genus extitisse in Africa, quo usi essent hi scriptores.

Inter vulgaris africitatis defensores principem obtinuit locum quondam Carolus Sittl, qui contra Beckerum (studia Apuleiana, Berol. 1879) et Iordanum (krit. Beitr. z. Gesch. d. lat. Spr.) primus diligentius Africum sermonem ex ipsis auctoribus lege rationeque certa circumscribere aggressus est in libro: die lokal. Verschiedenh. d. lat. Sprache mit besond. Berücksicbt. des afrikan. Lateins. Erlangen 1882. Ille postquam auctores, de quibus acturus est, in uno conspectu posuit, a certis rationibus profectus, ex quibus, quid africitati tribuendum esset, appareret, omnes has generis dicendi proprietates usu plebeio tritas cottidianoque in Africa sermoni accommodatas fuisse putat. Similiter iudicavit qui vulgaris africitatis alter tutor ortus est Piechotta in 'curis Apuleianis' ed. Vratislaviae 1882 (p. 19, 21, 24). Is vocabula prisca, quamquam Romae fuerint illis temporibus exoleta planeque abhorrentia ab usu elegantioris urbanique sermonis, tamen etiam tum in Africa fuisse usitata atque consuetu-

dini convenientia censuit [1]). Denique etiam Woelfflinus (inprimis in libro: Minucius Felix, ein Beitrag zur Kenntnis d. afrik. Lateins, Arch. VII p. 470) vulgari vernaculaque dialecto usos scriptores Africanos libros composuisse autumat; nam milites magistratus mercatores anno 146 sermonem Plautinum et Catonianum in Africam transtulisse, quem ibidem fere immutatum integrumque usque ad illa tempora servatum esse.

Quorum trium virorum doctorum iudicia satis sit attulisse, quamquam alios quoque velut Landgraf (Arch. IX 549), Thielmann (Arch. IX 252 sqq.), Kuebler (Arch. VIII 161 sq. a. l.) in hisce similibusve studiis data occasione versatos eodem fere modo iudicavisse non ignoro.

At non defuerunt, qui impugnarent illorum sententiam omnino negantes naturam quandam popularem esse tribuendam huic Afrorum sermoni. Quo in numero primus est memorandus idem Carolus Sittl, olim acerrimus 'africitatis' propugnator, qui revocavit sententiam suam novem annis ante probatam irritamque iussit haberi (cf. Bursian-Mueller, Jahresber. 1891 II p. 226 sq., inprimis p. 233). Falsa enim se opinione captum iudicasse totamque 'africitatem' nil esse nisi 'φάντασμα' virorum doctorum. Maxime autem 'africitatis' propugnacula acerrima incursione quassavit et labefecit Krollius (in Museo Rhen. vol. 52 p. 569 sq.), qui sic fere iudicat: ne se quidem negare in Africa singulare quoddam sermonis genus existere potuisse; neque tamen id quale fuerit ex ipsa scriptorum ratione dicendi cognosci posse, quippe qui a vulgari genere longe absint. Idem Goetzio [2]) assentitur ratus studium illud exoletorum verborum locutionumque plane esse revocandum ad artem disciplinamque longeque abhorruisse a plebeio vernaculoque sermone [3]). Quam vehementem Krollii

1) Eandem fere sententiam de sermone Africo ante eum iam Roensch in libro, qui inscribitur: Itala et Vulgata, Das Sprachidiom der urchristl. Itala etc. (cf. p. 1 maximeque p. 12) professus est (Marburgi 1875).

2) Cf. Berichte d. sächs. Gesellschaft der Wissenschaften 1896 p. 64 sqq.

3) Huc etiam referri debent ex vetustioribus scriptis haec: Hildebrand (in ed. Apul. praef. p. XXV); Kretschmann, de Latin. Apulei Regimont. 1865 (cf. p. 3, 19, 34 sq.); Koziol, Der Stil des Apuleius (p. 2 et in adnot.); qui quidem viri omnes priscorum verborum copiam non tam ex vulgari quam ex antiquo sermone esse desumptam arbitrati sunt. Qua de re quantum ad Apul. pertinet egit ex recentioribus diligentissime F. Gatscha, Quaest. Apuleian. capita III dissert. Vindob. vol. VI p. 141, 150.

impugnationem ipse Woelfflinus ita repellere studuit, ut a sententia antehac probata sensim recederet (Arch. X 535), quamquam non omni ex parte cum illo facit. Cf. etiam Thielmann Arch. VIII p. 255.

Quae cum ita sint, sequendam existimo Krollii sententiam, quippe quae optimis fundamentis niti videatur. Primum enim iam illud in dubitationem vocandum est, num fieri possit, ut ex ipsis illorum auctorum scriptis concludamus de omnium communi loquendi usu vulgari atque vernacula dialecto. Ac vereor ne falsa sit haec conclusio. Pervasit enim passim per popularium ora sermo vulgaris, quo nusquam non uti solebant in commercio. Quo autem consilio quidve spectantes scriptores Africi hoc sermone libros composuisse censebimus? Putabimusne illos sperasse plebem illam eorum volumina vasta doctrina conferta lecturam esse? Statuemusne eos qui ex ipsorum testimoniis studiis scholisque rhetoricis operam dederant, vulgari sermone usos esse praeceptis artibusque rhetorum abiectis? Cur hos omnino frequentasse rhetorum scholas putabimus, nisi ut in libris conscribendis id quod studio aerumnabili diuturnaque consuetudine sibi acquisivissent quasi deponerent? Apuleium vero quanta cura orationem suam conformaverit verba satis docent haec (Flor. I n. 9 p. 29): „*quis enim vestrum mihi unum soloecismum ignoverit? quis vel unam syllabam barbare pronuntiatam donaverit? quis incondita et vitiosa verba temere quasi delirantibus oborientia permiserit blaterare?*“ Ergo apparet illum in usum sive oblectationem liberaliter eruditorum scripta sua composuisse et secundum Horatianum illud profanum volgus odisse. Idem vero de aliis scriptoribus Africanis valere consentaneum est [1]). Unde, opinor, facile intellegitur, cur Fronto studium veterum scriptorum velut Ennii, Plauti, Catonis, Sallustii, Lucretii, aliorum saepius (cf. p. 54; 62; 145; 224 Naber) discipulo principi atque ingenuo non modo commendaverit, sed etiam ipse horum sermonis tenorem ubique sectatus minime '*solitis et usitatis verbis contentus*' fuerit (p. 50, 3) [2]). Atque etiam

1) Cf. Sittl, qui in Roenschium invehitur in Muelleri 'Jahresb.' vol. 68 (1891 II p. 245 ad fin. a verbis: noch weniger etc.). — De singulorum scriptorum studiis in universum conferas quod dicit Teuffel H. l. de Frontone p. 895, de Tertull. p. 941, de Cypr. p. 968, 3, praeterea Schanz H. l. part. II p. 75, 83 sq. (§ 549), Norden, D. antike Kunstprosa p. 588 sq.

2) Cf. Priebe, de Frontone imitationem prisci sermonis adfectante (Stettin 1886); Schanz, Hist. lit. III ⸗ 3 (§ 552); Klussmann, Emendatt·

Marcus Aurelius, nobilissimus Frontonis alumnus, narrat (p. 34, 10) se in hunc usum sibi '*excerpta ex sexaginta libris*' fecisse. Hoc autem Frontonis exemplum alios quoque discipulos popularesque isdem studiis imbutos sectatos esse probabile duco [1]). Deinde Gellius, Frontonis liberalissimus cultor (cf. XVII 1, 1), quantopere antiquitatis admirator fuerit ipse nusquam non testatur. Porro quomodo Tertullianus Cyprianusque antiqui sermonis colorem adfectaverint, vix opus est multis explicare. Denique Augustinus perinde ac Martianus Capella popularis quin priscae latinitatis promptuarium haud ita parce adierint, dubitari nequit [2]).

Nunc vero censeo apparere, quomodo prisca vocabula exoletaque in Afrorum libros pervenerint. Hoc enim immodico verborum tumore fucatoque sermonis colore cum et ipsi scriptores rhetorica eruditione instituti delectabantur, tum legentium iudicio quodammodo illis temporibus corrupto satisfacere studebant. Quodsi per duo saecula Cicero fuerat norma elaboratae atque bene expolitae orationis, horum temporum mos et consuetudo mutata priscorum exempla Plauti, Lucretii, Catonis, Ennii, Sallustii, Varronis repetivit. Maioribus clara ac dilucida oratio perfectissima visa est: hi scriptores ingenii inanitatem quaesita obscuritate, vasto verborum sonitu ex prisca aetate depromptorum nimiaque adfectatione rhetorica velare studebant. Caesaris illud iudicium (ap. Gell. N. A. I. 10, 4) '*ut tamquam scopulum sic fugias inauditum atque insolens verbum*' in contrarium verterunt. Quintiliani praecepta omnino neglegebant, qui de hoc exoletorum verborum studio dicit rectissime (VIII, 2, 12): „*hinc enim aliqui famam eruditionis adfectant ut quaedam soli scire videantur*“ [3]). Quibus praemissis

Fronton. p. 75, Norden p. 362; 366. — Quae extant in Apuleii libris specimina ex priscis scriptoribus desumpta collegit his tempp. diligentius Gatscha, l. s. s. p. 141 sq.

1) Quanto vero momento Frontonis ratio dicendi toti Afrorum latinitati fuisset, ipse Woelfflinus nunquam negavit; cf. Cassius Felix, Sitzungsber. der Münch. Akad. 1880, S. 384, Arch. X 535, 21.

2) Cf. Piechotta l. l. p. 10 a. l.; Roensch, Itala u. Vulgata, passim; Kretschmann, l. l. — Augustinum vero Tertullianumque in explicandis quaestionibus mythologicis inprimis Varronis 'antiquitates' exscripsisse constat. Cf. Wissowa, de dis Romanorum indigetibus et novensidibus p. 178 alib.; R. Agahd in Fleckeis. Jahrb. Suppl. XXIV maxime p. 44 sq. Idem valet de Martiano Capella, de quo in universum conferas id quod dicit Teuffel H. l. p. 1156; adde Nordenum p. 624.

3) Etiam Seneca queritur in ep. 114, 3: „*multi ex alieno saeculo petunt verba; XII tabulas loquuntur.*“

viaque tamquam munita ad ipsum transeamus propositum scilicet de Arnobii studiis Latinis disputaturi.

Igitur Arnobius primo deditus studiis rhetoricis, postquam fidem professus est Christianam, VII adversus nationes libros composuit; quibus de libris iudicium gravissimum viri docti ex ipsa antiquitate extat. Dicit enim Hieronymus in epistola ad Paulin. 58, 10 (p. 326 edit. Vallarsii): „*Arnobius inaequalis et nimius et absque operis sui partitione confusus.*“ Cui iudicio nos non possumus non assentiri. Nam permultis locis perspicitur quanta in eo fuerit levitas mobilitasque ingenii et quam parum diligenter ad rem propositam accesserit [1]). Quin primoribus tantum labris, ut dicitur, sapientiam quam profitetur gustasse videtur atque ea ratione, ut notitiam testamenti veteris habuerit nullam, novi parum accuratam. Quin etiam iure dubitaveris num evangelia ipse perlegerit. At tamen, si quisquam Afrorum, magnam scientiam doctrinamque, ut ita dicam, tumultuariam antiquitatis Romanae ut rerum divinarum ita humanarum ostentat: quo fit, ut primo obtutu speciem prae se ferat ἀνδρὸς φιλομούσου καὶ πολυΐστορος. Nam ad omnes fere eruditionis disciplinas pervagatur, quas in auxilium advocat contra paganos, velut philosophiam, astronomiam, inprimis mythologiam, historiam, medicinam, sacrificandi disciplinam, archaeologiam, iuris prudentiam, naturalem historiam, rem rusticam, architecturam, quin etiam artem culinariam. Nos vero in ea quae sequetur disputatione neque eius doctrinam universam neque omnes rationis [2]) dicendi partes tractabimus, sed particularem quaestionem quae pertinet ad Arnobiani sermonis colorem elegimus [3]), nimirum ratione habita illius quam supra adumbravimus Afrorum proprietatis. Qua in re hunc instituemus ordinem, ut agamus de vocibus Lucretianis, deinde de vocibus Plautinis et sic deinceps de

1) Cf. Teuffel, Hist. lit. p. 996, 3. — Pauly-Wissowa, Real-Encyclop. — Reifferscheid in praefat. ed. p. XIV. — Schanz, H. l. III² p. 439.

2) De qua re, velut de figuris rhetoricis, de structura enuntiatorum et compositione deque aliis quae huc spectant iam egerunt Joh. Scharnagl (de Arnobii latinitate, Goerz 1895) et Prosper Spindler (de Arnobii genere dicendi, Strassb. 1901).

3) Quamquam nonnulla, quae huc referenda sunt iam congessit Stange (de Arnobii oratione, pars I: de verbis ex vetusto et vulgari sermone depromptis, Saargemünd 1893).

Catonianis, de Varronianis, de ceteris, quae extant exoleta vocabula deque iis quae apud solum Arnobium leguntur. Tum denique orietur quaestio, quam inprimis nostram esse voluimus, unde haec prisca insolitaque vocabula petierit auctor, utrum ex ipsa scriptorum lectione an ex commodiore quodam fonticulo.

Quem ordinem secuturo dubitationes oriri debuisse multas non ignoro. Saepissime enim incertum videtur, quomodo ut exemplo utar Plautina a Catonianis, Catoniana a Varronianis discernamus, cum idem vocabulum ad plures dispositionis partes referri possit, id quod plerumque fieri solet in eiusmodi quaestionibus. Qua in re si non semper recte iudicavisse videbimur, veniam petimus propter ipsius rei difficultatem.

I.

In quaestione quam mihi proposui explicanda ut a Lucretio [1]) inciperem inprimis Spindlerus me commovit, qui abhinc annos quatuor quae ei videbantur Lucretiana vocabula ab Arnobio usurpata congessit (l. l. p. 4—7) [2]). Quamquam non ubique cum eo consentio, si quidem neque quae Lucretio adscripsit, omnia iure huc referri concedo [3]) et nonnulla neglexit quae merito notanda sunt.

1) De ceterorum patrum studiis Lucretianis conferas: S. Brandt, Laktanz und Lukrez (in Fleckeis. Jahrb. 143 a. 1891 p. 225). — Philippe, Lucrèce dans la théologie chrétienne du III. au XIII. siècle (revue d. l'hist. d. relig. 32 a. 1895 p. 284; 33 a. 1896 p. 19).

2) Ante eum de eadem re egerunt Hildebrand (in adnot. edit. Arnob. velut 1 50; II 16, 35, 39; III 13; VI 18 alibi). Cf. etiam Reifferscheid in ind. schol. Vratislav. 1877—78 p. 9, 10; adde Sittl, Die lokale Verschiedenh. u. s. w. p. 120 adnot. 76; Roehricht, D. Seelenlehre des Arnob. Hamburg 1893; Klussmann Philol. XXVI p. 362.

3) Omnino enim delenda censeo ex iis quae enumerat haec: p. 249, 27 *nigror* (cf. Pacuv. apud Cic. div. I 14 = Ribb. 412; Lucil. apud Non. 515, 2; Cels. II 1; Gell. II 26, 14; Cypr. de hab. virg. 14). — P. 120, 14; 225, 4 *filum* = *forma*. — P. 15, 8; 158, 8 *fluentum*. — P. 181, 27 *pausa*. — P. 257, 18; 160, 1 *proluvies* intestinorum (cf. Verg. Aen. III 216 ventris; idem Col. VI 7; XII 38). — P. 39, 2; 52, 12; 133, 5 *concinnare*. — P. 199, 7 *conduplicare*. — P. 250, 3 *exspirare* (cf. Krebs, Antib.). — P. 132, 4 *dictitare* (!). — P. 91, 18 *pervidere* (= perspicere, est optimae latinitatis verbum; cf. Krebs, Antib.). P. 4, 4; 143, 17; 248, 22; 272, 13 *occipere*. — P. 80, 19 *sufficere* (= praebere, saepe recurrit, cf. Georges lex.). — P. 170, 15; 187, 1 *diffluere*. — P. 158, 16 *genere*. — P. 45, 1; 96, 25 *sustollere*. — P. 121, 28 *contactus*. — P. 158, 11

Exempla autem haec sunt sive certa sive probabilia: p. 230, 20 *maximitas* = Lucr. II, 498 (ed. Lachmann); cf. Non. p. 136. — P. 276, 16 *pestilitas* = Lucr. VI, 1098; 1125; 1132; cf. Non. p. 158: pestilentia. — P. 60, 24; 206, 27; 256, 7; 261, 13; *differitas* (... *plurima differitate distantia* ...) = Lucr. IV, 636 (*distantia differitasque*) [1]); cf. Non. p. 95, 28. — P. 120, 15 *circumcaesura* = Lucr. III, 219; IV, 647. Idem significat quod apud Arnobium p. 120, 14 *filum* = forma. — P. 67, 10 *formatura* = Lucr. IV 550; 554. — P. 79, 21; 165, 2; 170, 19 alibi *pellacia* = Lucr. II 559; V 1004; h. e. fallacia. — P. 122, 24 *formamentum* = Lucr. II, 819. — 34, 9 *vermina* = Lucr. V 997; cf. Fest. p. 375, 25: „*vermina dicuntur dolores corporis cum quodam minuto motu quasi a vermibus scindatur.*" — P. 71, 24; 76, 12; 87, 9 *momen* = Lucr. II 220, III 189; VI 474; cf. Fest. ex Paulo p. 140, 2: *momine: momento* [2]). — P. 5, 27; 76, 19; 143, 28 alibi *vocamen* (h. e. nomen) = Lucr. II 657; solus habet praeterea Solin. c. 27 [3]). — P. 283, 16 *angellus* (demin. ab angulo ductum) = Lucr. II 428. — Denique huc referam p. 212, 9 *fluctus* (motus obscenus) = Lucr. IV 1271. — Item p. 69, 18; 71, 7 *repetentia priorum* (h. e. memoria) = Lucr. III 851 („*interrupta semel cum sit repetentia* [4]) *nostri*").

infractus (de ipsa voce usurpatum saepius recurrit, cf. Krebs, Antib.). — P. 109, 10 *immoderatus* (= immensus). — P. 251, 20 *morbidus*. — P. 33, 3 *tabificus*. — P. 193, 9 *privus*. — P. 252, 10 *taeter*.

1) Alio sensu *differitas* semel usurpatur ab auctore carminis de figuris 19 p. 64, ubi significat genus quoddam figurae rhetoricae, graece *ἀλλοίωσιν*. Cf. Teuffel, H. l. p. 1155 ab in.

2) Ennius quoque iam usus est hac voce in Ann. v. 595 (ed. Vahlen = 606 ed. L. Müll.) „*vestro sine momine, venti*". Tum Manil. Astron. posuit de temporis motu III 695; item auctor Aetnae 213; 306; cf. Heinze, Kommentar zu Lucrez B. III p. 69.

3) Arnobius eiusmodi vocabulorum in '*men*' exeuntium amatorem se praebet. Hic satis habeo ea tantum attulisse, quae mihi minus in usu fuisse videntur: P. 43, 6 gestamen. — P. 261, 30 spiramen. — P. 20, 14 flamen. — P. 18, 16; 80, 14 tutamen. — P. 225, 11 molimen. — P. 112, 12; 219, 16 fundamen. — P. 197, 6 solamen. — P. 41, 25 tegmen. — P. 128, 15 libamen. — P. 258, 2 frumen. — P. 257, 17 catillamen. — P. 258, 9 salsamen. — P. 257, 20 polimen. — P. 258, 15 augmen (= augmentum i. e. carnis quoddam genus). — P. 259, 8 omen = omentum.

4) De Lachmanni coniectura '*retinentia*' (= vinculum, quo retinetur anima cum corpore; Lucr. III 675) merito dubitari posse videtur. In codicibus extat '*repentia*'. Cf. Lachm. Comment. ad. h. l. p. 186.

Adiectiva commemoro haec: p. 147, 12 *exos* = Lucr. III 719 (*exos et exsanguis*); cf. Non. p. 103[1]). — P. 279, 12 *aversabilis* = Lucr. VI 390. — P. 227, 15 *insensilis* = Lucr. II 866; 888; solus praeterea habet Chalcid. Tim. Plat. 52. — Fortasse hic poni potest etiam: p. 164, 22 *genitabilis* = Lucr. I 11; Lucil. sat. I 1; Varro d. l. l. V 17[2]).

Iam secuntur verba: p. 280, 22 *nominitare* = Lucr. III 352; IV 44; VI 424[3]). — P. 174, 7 *expergitus* = Lucr. III 929; cf. Fest. ex Paulo p. 80, 8: „*expergitus ab alio excitatus, quem solemus dicere expergefactum*“; Fronto ep. p. 10, 13; p. 207, 19 (Naber). Apul. adverb. *expergite* adhibet M. II c. 23 (= p. 148). — Quibus etiam addere possumus de coniectura probabili haec: p. 4, 24 *coactare* (cod. Par. '*caelum coartatur in nubila*'; omnes autem editores receperunt Gelenii emendationem '*coactatur*') = Lucr. VI 1120; 1159. — P. 118, 24 *tortari* (h. e. valde torqueri; ex certissima Canteri coniectura. Cod. '*et hortari*', quod sensu caret) = Lucr. III 661. Alterum exemplum est apud Pompon. teste Nonio p. 182, 15. Cf. corp. gloss. *tortor: torqueor* V 648, 28. — Fortasse huc pertineat p. 117, 8 *suboriri* ('*suboriente fetura*'; ut Gelenius coniecit probabilissime) = Lucr. I 1036; 1049; II, 1138 (h. e. subnasci), quamquam eodem sensu exhibet Plin. n. h. II 207 (Detl.). Translato sensu denuo in usum vocatur a Boethio comment. in Cic. top. 3 p. 322, 40.

His accedunt hae locutiones: p. 61, 1 *ex ossibus fundata . . . corpora* = Lucr. V 927 (*genus humanum . . . ossibus intus fundatum*). — P. 249, 26 *subtexere caelum* = Lucr. V 466. — P. 77, 29 *saccatus umor* (h. e. urina) = Lucr. IV 1028. — P. 118, 16 *havet animus . . . conspicere . . . ab Iacco Cererem, musa ut praedicat Lucretia mammosam* (h. e. gravidam) = Lucr. IV 1168 (. . . *mammosa Ceres est ipsa ab Iacco*). — P. 20, 14 *ventorum*

1) *Exossus* Apul. I M. c. 4 (= p. 21) *enervam et exossam saltationem*); '*exossis*' idem in apol. p. 492 (c. 40) et p. 551 (c. 74 *exossis plane et enervis*); cf. Hildebr. adnot. in ed. Apul. tom. I p. 25. Apud Sidon. ep. 8, 16, 2 legitur *exossis dictio*.

2) Eiusmodi in '*abilis*' et '*ibilis*' exeuntia vocabula Arnobius summo studio amplexus est, quoniam longiore isto exitu plenior ac tumidus quidam sonus tribuitur sermoni. Quorum maior pars illis demum temporibus novata esse videtur.

3) Cf. C. I. L. I 1011.

flamina = Lucr. I 290. Cf. Apul. M. XI c. 5 (= p. 762) *maris salubria flamina*. — P. 10, 6 *moles mundi* = Lucr. V 96 (*moles et machina mundi*). Fortasse etiam hae: p. 70, 20 (... *usu et illis est vita, non mancipio tradita*) = Lucr. III 971 (*vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu*). — P. 97, 12; 105, 7 *primigenius ortus* = Lucr. II 1106 (*primigenium . . . coortum*). — P. 61, 6 *corporalibus conciliis procreant* = Lucr. I 182 (*genitali concilio*) II 935. — P. 124, 16 *lingua sonos articulet* = Lucr. IV 549 (*articulat verborum daedala lingua*). Denuo in usum vocabant 'articulare' hoc sensu Apul. Flor. II 12 (= p. 44) et August. Soliloq. 2, 10, 19; d. mag. 1, 2[1]). Sed haec hactenus: pergamus ad Plautina exempla enumeranda.

P. 123, 17 *clurinum pecus* = Plaut. Truc. v. 269 (II 2, 15) *pudendumst vero clurinum pecus*[2]). — P. 228, 23 *nidamentum* = Plaut. Rud. v. 889 (III 6, 51). — P. 67, 6 *batioca*[3]) (h. e. paterae genus) = Plaut. Stich. v. 694 (V 4, 11) . . . *batiochis bibunt*. Accedunt glossae tres, quae nescio an huc spectent: *batioca: patera argenti ad sacrificandum* Placid. gl. V 8, 7 = 50, 1; *batioca: patera* IV, 591, 8; 599, 9; *batioca: patera, arca turalis*. Cf. Loewe, Prodr. p. 276. — P. 258, 6 *caro strebula*. Festus dicit p. 313, 34: *Strebula Umbrico nomine Plautus appellat coxendices hostiarum, quas*

1) Ceteras, quas congessit Spindlerus locutiones aut apud alios quoque inveniuntur auctores (velut p. 103, 28 '*ora luminis*' praeter Lucr. I 22; 170; 179 alibi, etiam apud Verg. Georg. II 47; Aen. VII 660. — P. 70, 17; 73, 18 *leti . . . ianua* praeter Lucr. V 373 apud Ovid. quoque. — P. 179, 21 *profluvium sanguinis* non modo apud Lucr. VI 1205, sed etiam apud Colum. Plin. Aurel. Victor. invenitur. Cf. Georg. lex. — P. 64, 22 *nothus* de luce dictum = Lucr. V 575: cf. Apul. d. d. Socr. p. 118 c. 1., praeterea apud Catull. 34, 16), aut similitudine nimis remota cum Arnobio mihi videntur contineri.

2) Cf. Serv. ad Aen. I 435: *Plautus 'clurinum pecus' simiam dixit*. Haud scio an huc pertineant glossae *clura:* πίϑηκος II 102, 14 : *simia* II 573, 26 : *cluram vel glurum simiam alias cercopithecum*, Placid: V 15, 44 (= V 55, 29). Cf. Fest. Pauli p. 55, 9; Isid. XII 2, 31; Loewe in Gl. N. 67, 81; Dammann, comment. Ienens. V 41. — Reiffersch. quidem errat cum p. 123 in adnot. et in indice auctorum dicit ex Ennio (sat. 45) esse translatum illud *clurinum pecus*.

3) Cod. exhibet *pattioca*, qualis forma, quamquam nusquam reperitur, a Reifferscheidio conservatur. Sed *batioca* forma optimis ultro testimoniis firmata videtur unice probabilis. Cave autem ne confundas eam cum 'batiola', ut scribi mavult Meursius nixus loco ex Colace Plauti (apud Non. p. 545, 20) petito. Cf. Loewe, Prodr. p. 280; Corp. gloss. s. h. v.

[Graeci μηρία dicunt, quae] in altaria in [poni solebant, ut Plau]tus ait in Fri[volaria . . .] [1]). Porro Varro d. l. l. VII 67: *In Cesistione* [2]): *'Dis stribula... viscera'. Stribula, ut Opilius scribit, circum coxendices sunt bovis* ... — P. 32, 11 *querquera*. Explicat Festus Pauli p. 256, 11: *Querqueram frigidam cum tremore a Graeco κάρκαρα certum est dici, unde et carcer. Lucilius 'Iactans me ut febris querquera' et alibi 'Querquera consequitur capitisque dolores'. Item Plautus 'Is mihi erat bilis querqueratus'* (h. e. querquera tussis). Cf. Goetzii adnotationes in fragmentorum editione maiore p. 148 sq. — P. 78, 28 *grallator* = Plaut. Poen. v. 530 (III 1, 27) *'vinceretis cervom cursu vel gralatorem gradu'*. Cf. Fest. Pauli p. 97, 12: *grallatores appellabantur pantomimi qui, ut in saltatione imitarentur Aegipanas, adiectis perticis furculas habentibus atque in his superstantes . . . gradiebantur utique propter difficultatem consistendi. Plautus: 'vinceretis . . . . . . gradu'*. Cf. Varro d. l. l. VII 69 Sat. Men. 323 (B.) Non. p. 115, 18. Placid. V 24, 23 = V 72, 6; II 36, 3. — P. 228, 6 *subscus* Festus p. 306, 31 sic scribit: *[subscudes ap]pellantur cuneatae ta[bellae quibus] tabulae inter se con[figuntur, qui]a, quo eae immittuntur [succuditur. Pa]cuvius ... Plautus in Astraba: 'Terebratus multum sit: subscudes addite'* [3]). Cf. Paulus p. 307, 6. Quamquam Cato quoque iam usus est vocabulo d. agr. c. 18 perinde ac Vitruvius X 2, 11. Denique ex inferis tamquam excitavit Augustin. d. civ. dei XV 27, 3. — P. 63, 5 *supparum* = Plaut. Epid. v. 232 (II 2, 48). Nonius tradit p. 540, 8: *supparum est linteum femorale . . . . . . Plautus in Epidico* ... (cf. Goetzii adnott. ad. h. l.): cf. Fest. p. 340, 22. Solus Lucanus eadem significatione neutri generis utitur vocabulo II 364 [4]). — Quibus fortasse etiam addi possunt p. 258, 11; 259, 8 *hira* [5]) = Plaut. Curc. v. 238 (II 1, 23) . . . . *hirae omnes dolent*. Cf. Fest. Pauli p. 101, 6. Quam

---

1) Cf. in Plauti comoediarum editione maiore Goetzii adnotationes (Tom. IV) ad fragmenta p. 150.

2) Cf. ibidem p. 144.

3) Cf. Goetzii adnotationes in fragmentorum editione maiore p. 139.

4) Supparus occurrit apud Fest. Pauli p. 311, 4 et apud Varronem d. l. l. V 131. Atque testatur Prisc. 5, 8, 42 p. 658 (II 169, 17) hoc nomen apud vetustissimos duplici genere esse usurpatum. Cf. Neuium Formenl. d. lat. Spr. tom. I p. 806.

5) Cod. perperam habet p. 258, 11 'dira', p. 259, 8 'ira'. Unice rectum scilicet hira, quod omnes editores probant.

vocem suscepit Apuleius in libro d. dogm. Plat. p. 213 (*ventrem hiris intestinorum circumplexum*). Charis. I p. 94 (ed. Keil; *Lucanica . . . hira*). — P. 95, 16 *tippula* (quam lectionem sine dubio rectam restituit Sabaeus ex corrupto 'hippulae') = Plaut. Pers. v. 244 (II 2, 62). Cf. Fest. Pauli p. 366, 5: *tippula: bestiolae genus sex pedes habentis, sed tantae levitatis, ut super aquam currens non desidat. Plautus, Neque tippulae levius pondust quam fides lenonia'*. Fortasse huc spectat glossa *tippula: vermis aquaticus* V 397, 44; V 624, 28. Nonii locus p. 180, 12 ad aliud Plauti fragmentum referendum videtur (cf. Goetzii adnot. ad. h. l. et fragment. collect. p. 162). Usus est praeterea hoc vocabulo Varro in sat. Men. fr. 110 (R) 50 (B). — Quibus haud scio an adiungi possint quae extant verba p. 29, 29 *intercutes et veternosae fugiebant undae* = Plaut. Men. v. 891 (V 4, 3) *'Num eum veternus aut aqua intercus tenet'?* Cf. etiam in Frivolariae fragmento: *Is mihi erat bilis, aqua intercus, querquera tussis* ... (cf. Goetzii adnot. in fragm. edit. mai. p. 148 sq.). — Denique in sequentibus cognatio quaedam inter utrumque constare videtur, quamquam Plauti codices in lectione paulum discrepant: p. 78, 29 *quid . . . . aurifices . . .?* p. 79, 1 *quid fullones lanarios phrygiones . . . .?* = Plaut. Aulul. v. 508 (III 5, 34): *stat fullo, phyrgio, aurifex, linarius* [1]).

---

1) *phyrgio* cod. vet. (B.), cod. Ursin. (D.): *phrygio* cod. Lips. (F.), ed. princ. (Z.), *linarius* B (cf. C. I. L. V 5923); *lanarius* B² D. J. F. Z. — Fortasse hic etiam commemorari possunt aliquot vocabula non tam Plauti quam totius priscae aetatis propria velut: p. 225, 15 *prostibulum* = Plaut. Aulul. v. 285, Stich 765 (cf. Fest. Pauli p. 7, 19 et Non. p. 423, 10; Vulgat. Deut. 23, 18). — P. 225, 4 *filum* (h. e. forma) = Plaut. Merc. v. 755; Lucr. II 341, IV 88, V 571 alibi; Lucil. teste Nonio p. 313, 16. Cf. Varro d. l. l. X 5. Recepit ex promptuario prisci sermonis Apul. M. p. 289, item Gell. XIV 4, 2. — P. 181, 27 *pausa* = Plaut. Pers. v. 818; Rud. v. 1205; Poen. v. 459; Claud. Quadrig. frgm. 137, 37; Epist. Cornel. frg. 2. Poetae saepius adhibent velut Lucil. (l. I), Lucret. (I 747, III 859, 930, IV 1116), Acc. Cf. Non. p. 158. Receperunt Gell., Apul. M. XI 755, Fulgent. Mythol. I p. 633. Cf. Krebs Antib. — P. 152, 23; 219, 7 *prosapia* = Plaut. Curc. v. 393, Merc. v. 634. Cicerone teste vetus verbum (Tim. 11, 39) est. Cf. Quintil. I 6, 40; VIII 3, 26; Sall. Iug. 85, 10; Non. p. 67. Quae vox mirum in modum renascitur posteriore tempore maximeque ab Afris scriptoribus in novum usum vocatur; collegit exempla Woelfflinus Mus. Rhen. 1882 vol. 37 p. 95. Cf. etiam Neue tom. I. p. 566; Piechotta l. l. p. 33. — P. 118, 25 *suppetiae* = Plaut. Men. v. 1020; Epid. v. 659; Rud. v. 624, 1083; Varro Sat. Men. 509 (B.); Auct. bell. Afr. c. 66, 75.

Iam secuntur verba: p. 48, 4 *apertare* = Plaut. Men. v. 910 (V 5, 12). — P. 124, 9 *nictare* (cod. nectare) h. e. oculos claudere est valde a Plauto usitatum, velut Asin. v. 784 (IV 1, 39); Men. v. 613 (IV 2, 49); Merc. v. 407 (II 3, 72). Cf. Fest. p. 177, 7; ubi Lucret. (VI 836), Caecilius, Novius memorantur. Cf. Non. p. 439, 26; Fulgent. d. prisci serm. n. 46; item Wessneri adnot. ad. h. l. in comm. Ien. VI 2, p. 123. Glossa *nicto: σκαρδαμύττω* II 432, 38. Plin. N. h. XI 145 utitur *nictor* eodem sensu. — P. 196, 14 *oggerere* (h. e. offerre) = Plaut. Truc. v. 102 (I 2, 9); Cist. 70 (I 1, 70); Pseud. v. 812 (III 2, 23). Quod verbum novo modo usurpavit Apul. in Flor. III c. 17; Apol. p. 535 perinde atque Aurel. Victor [1]).

Adiectiva affero haec: p. 121, 7 *edentulus* (h. e. sine

Susceperunt Apul. M. III p. 223; VI p. 435 apol. p. 491 (c. 40) aliisque locis; August. Civ. d. 8, 22. — P. 79, 1 *vitor* = Plaut. Rud. v. 990. Donat. ad Terent. Eun. IV 4, 21; Ulp. dig. 9, 2, 27; gl. v. *καλοπλόκος* II 210, 16.

1) Etiam alia hic afferri possunt verba, quae, ut non ausim Plautina vocare, ita demonstrant quantopere Arnobius priscam dicendi rationem adfectaverit. Huc refero: P. 36, 3 *nutricare* = Plaut. Mil. v. 715; Merc. v. 509; Afran. apud Non. p. 478; Varro d. r. r. II c. 4 p. 177 et 178; Cic. d. nat. deor. II 34, 86. Inferiore aetate receperunt Apul. Ascl. c. 36; Tertull. ad ux. 1, 5; adv. Marcion. 2, 19; Itala Matth. 24, 19. Cf. Krebs Antib. — P. 179, 17 *gestitare* = Plaut. Cist. v. 746; Curc. v. 602; Poen. v. 398. Quamquam Ennius iam teste Gellio VII 17, 10 usus est eodem verbo. Denuo adhibuerunt Solin. c. 45 et Auctor itiner. Alex. Mag. 49. — P. 23, 9; 38, 22; 47, 6; 94, 20 alibi *edissertare* = Plaut. Amph. v. 600; semel Liv. XXII 54; Iul. Valer. gest. Alex. Mag. III 41. — P. 185, 6 *saburrare* ('saburrati' ex Oehleri coniectura probabilissima) = Plaut. Cist. v. 121; Plin. N. h. XVIII 361; Solin. X 14. — P. 4, 4; 143, 17 alibi *occipere* = Plaut. Cist. v. 68 saepissime apud Plautum recurrit perinde atque apud Terentium. Cato habet d. r. r. 156, 2. Sall. hist. fr. 3, 71. Tacit. Ann. VI 45. Cf. Woelffl. Arch. III p. 536 et Krebs Antib. — P. 192, 7 *satagere* (h. e. angi, curare) = Plaut. Asin. v. 440 alibi; Terent. Heaut. v. 225: Auct. bell. Afr. 78, 7; Petron 58; semel Cic. ad. Att. 4, 15, 9. Quintil. VI 3, 54. — P. 103, 9 *porricere* (scil. exta) = Plaut. Pseud. v. 266: cf. Fest. p. 218, 26 et Non. p. 154, 16; Cato d. r. r. 50; 132; Varro d. l. l. VI 16 et 54 (ubi Spengel 'proicere' mavult) d. r. r. I 29, 3; cf. Serv. ad. Aen. V 238; Macrob. Sat. III 2, 2. — P. 21, 7; 156, 14 *muttire* = Plaut. Poen. v. 18 Amphit. v. 520 saepe. Cf. Fest. Pauli 145, 26 *mutire loqui.* Ennius ibid. Idem significat ac p. 116, 11 *mussitare,* quod Plautus duplici sensu adhibet 1) = tacere velut Truc. v. 312; 491; Mil. v. 477; Pseud. v. 501; 2) = murmurare velut Mil. v. 714; Casina v. 665; Rud. v. 1029. Apul. suscepit hac significatione in Apol. c. 71.

dentibus; cf. gl. V 568, 2); = Plaut. Cas. v. 549 (III 2, 20); Most. v. 275 (I 3, 118); Poen. v. 700 (III 3, 87) *vinum edentulum* (h. e. vetustate eximium). Recepit Tertull. d. pall. 5; item Prudent. peristeph. 10, 305; Anthol. lat. 1489. — P. 178, 18; 202, 15 *scitulus* (h. e. pulcher, formosus) = Plaut. Rud. v. 565 (II 7, 7); 894 (IV I, 3); Apulei. quae est eius consuetudo in suum vertit M. II 101; III 201; 486 alibi. P. 125, 22 adv. *scitule* solus praeterea habet Apul. M. VII 466; IX 593; X 738; alibi. — P. 62, 26 adv. *commodule* = Plaut. Rud. v. 468 (II 5, 11). — P. 64, 2; 125, 17 *bardus* (h. e. stupidus) = Plaut. Bacch. v. 1088 (V 1, 2); Epid. v. 421 (III 3, 40); Persa. v. 169 (II 1, 2); Terent. saepe posuit, Caecilius Statius teste Paulo 34, 9; semel Cic. d. fat. 10. Cf. Non. 10, 3; corp. gl. II 28, 24. Suscepit Tertull. adv. Herm. 36. — Quibus haud scio an addi possint aliquot verba, quae ut merito Plautinis sunt adnumeranda, ita mirifice ad novum usum excitantur inprimis ab Africis scriptoribus duce Apuleio. Huc refero: p. 121, 21 *macilentus* = Plaut. Capt. v. 647 (III 4, 114); Asin. v. 400 (II 3, 20). Cf. Fest. Pauli 125, 9. Postea in suum vertit primus Apul. Apol. 533; tum Porphyr. 243, 28; Pallad. 4, 10; Pelagon. veter. 24; 36; Vulg. interpr. Dan. 1, 10. — P. 168, 6; 171, 9 alibi, in universum sexies posuit *propudiosus* = Plaut. Truc. v. 271 (II 2, 17); Stich. v. 334 (II 2, 10); quod iterum Afri summo studio amplexi sunt: Apul. apolog. 552; Tertull. d. pall. 4; d. pud. 19 bis; Gell. II 7, 20; Min. Felix 25, 8; Sidon. ep. 9, 6; Itala apoc. 21, 4. Cf. Arch. VII 475. — P. 199, 12 *meticulosus* = Plaut. Amph. v. 293 (I 1. 137); Most. v. 1101 (V 1, 52); Apul. Flor. n. 2; Cael. Aurel. acut. 1, 15, 131; Itala deut. 9, 19; Ambros. d. Abrah. I 3, 19; Hieron. in Ies. 54; Augustin. Conf. I 14. Cf. Roensch, Itala p. 125. — P. 258, 26 *opiparus* = Plaut. Mil. v. 107 (II 1, 29); Capt. v. 769 (IV 1, 2); Pers. v. 549 (IV 4, 1); Poen. v. 132 (I 1, 4); Apul. M. X c. 13 (= 702); d. d. Socr. 171; Porphyr. 49, 28; Solin. 22, 10; Iul. Valer. III 82; Cf. Landgraf Arch. IX 563 [1]). — Fortasse etiam rectum hic locum habeat 18, 15; 197, 24 *catus* = Plaut. Pseud. v. 681 (II 3, 15); Epid. v. 258 (II 2, 73); Truc. v. 493 (II 6, 12) alibi;

1) '*Opipare*' adv. praeter Plautum in Bacch. v. 373 aliquoties Cic. adhibet velut off. III 58, (cf. Placid. V 35, 13 = V 90, 4) saepiusque Apuleius, qui etiam passim unicus scriptor utitur forma '*opiparis*', velut M. I p. 73; II p. 135 IX p. 656.

Enn. Ann. 331, 529 (Vahl.). Quamquam etiam Horatius I od. 10, 3; III od. 12, 10; II ep. 2, 39 et Cic. leg. I 16 dixerunt, tum Apul. d. d. Soc. c. 17; Auson. parent. 17, 15; Mos. v. 400 [1]). — Denique p. 126, 23 *gnaruris* [2]) (h. e. gnarus) = Plaut. Most. v. 100 (I 2, 17); Poen. v. 47. Cf. Placid. V 24, 17 = V 72, 8; gl. II 35, 8. Solus suscepit prisci sermonis adfectator Auson. in ep. 21, 19 [3]).

Venio nunc ad voces insolitas quae iam apud Catonem inveniuntur [4]). P. 95, 20 *porrina* (h. e. porrum) = Cato d. agr.

1) Cf. Varron. d. l. l. VII 46 qui *catus* = *acutus* interpretatur, ut ait Enn. in Ann. v. 459 '*signa cata*'.

2) Hanc enim lectionem optimam probo ex coniecturis Ursini et Scaligeri natam cum omnibus fere editoribus. Cod. habet „*cur esse dicatis in aliis perceptionibus 'ignarores' et habere sollertias*" . . . ? '*Gnariores*' quod Sabaeus proposuit vix ferri potest propter sensum perinde atque '*ignarures*' ex Meursii coniectura.

3) Quod Piechotta p. 37 affirmat apud Arnobium I 62 (= p. 43, 7) perpes = perpetuus legi, ubi extat . . . *perpeti succubuisset* . . . (scil. a perpetiendo infinitivus), diiudicare non ausim num ipse hunc locum legerit. Nec magis potui indagare '*praesentarius*', quod idem p. 35 dicit apud auctorem inveniri loco non allato, cum utitur Kretschmanni testimonio, quamquam ille (p. 52, 2 l. l.) minime dixit apud Arnobium extare hoc vocabulum. Cf. Roensch, l. l. p. 136. — Sane autem ad Plautum spectare videntur haec: p. 268, 19 *volup est*, quae est proba locutio Plautina saepe recurrens velut Mil. v. 277 (II 3, 6), 947 (IV 1, 1), Cas. v. 784 (IV 2, 5), Men. v. 677 (IV 3, 3), multis aliis locis. — Vicies ter posuit Arnobius velut p. 21, 4; 22, 2; 58, 7; 65, 21 *potis est*, quod apud Plautum passim legitur. — P. 41, 7 *pane* (neutri generis = panis) „*non item apud vos est positum hoc pane et hic panis*", *hic sanguis et hoc sanguen* . . . . . . *Pane* = Plaut. Curc. v. 367 (II 3, 88). Cf. Non. p. 218, 12; Charis. I 90, 5 (K); item Neue I p. 828. *Sanguen* = Enn. Scenicor. fragm. 18; 26; 63; 99; 119 alib.; Ann. 100; 113 (Vahl.); Acc.; Varro (Sat. Men. 225, 2), Cic. (d. fin. V 31). Cf. Non. p. 224, 25, Gell. III 7, 19, Prisc. I 250, 14, Charis. I 90, 21. Cf. Neue I p. 828. — P. 229, 13; 237, 18; 246, 7 *confiunt*, p. 209, 9, *confiant* p. 83, 6, *confierent* = Plaut. Trin. v. 408 (II 4, 7); *confit* Lucr. IV 291, 929; Hygin. poet. astron. V. 39; Suet. Caes. 20. Cf. Neue III p. 631. — Infinitivos in '*ier*' exeuntes inveni hos: p. 110, 24 adficier — p. 135, 5 vertier — p. 240, 22 provolvier — p. 280, 9 viderier — p. 229, 5 iacularier — p. 179, 25 velarier et coronarier — p. 210, 6 convestirier = Enn. trag. fr. 155 (Vahlen) — p. 248, 20 addier — p. 233, 13 copularier — p. 259, 18 reddier (ex Zinkii coniect.), quae formae non modo apud Plautum sed in toto priscae aetatis sermone nusquam non occurrunt. Cf. Neue III p. 226 sq. Stange l. l. p. 8.

4) Cf. Hor. epist. II 2, 117 „*quae priscis memorata Catonibus atque Cethegis nunc situs informis premit et deserta vetustas*".

c. 47, item Scaevola dig. VII 1, 58. — P. 236, 16 *torpedo* (h. e. torpor) = Cato apud Gellium XI 2, 6 (. . . *inertia atque torpedo* . . .). Tum in suum vertit vocabulum Sallustius (hist. frg. epist. Phil. ad Lepidum; cf. Non. p. 229), quem furem antiquorum Catonis verborum fuisse testem esse Lenaeum scimus. Unde Tacitus, qui ad Sallustii exemplum properavit, mutuatus est (hist. III 63) [1]). P. 15, 4; 108, 15 *autumnitas* = Cato d. agr. 5, 8 (Plin. hist. nat. XVII 127), 155, 1; Varro Men. 443; 458; Min. Fel. 2, 3; Symmach. epist. 3, 23, 1. Gloss.: *autumnitas pro autumno*; cf. Non. p. 71. Cf. thes. l. l. — P. 191, 9 *grassator*. Gellii testimonio accepimus (XI 2, 5) Catonem propria et singulari quadam significatione usum esse hac voce: „*si quis* . . . *sese ad convivia applicabat, 'grassator' vocabatur*" (codd. opt. 'crassator'). Apud Arnobium prorsus idem significat vocabulum 'grassator' (= cenans); est enim sermo de Libero deo a Titanibus mactato; Iovem autem grassatores, h. e. cenantes, fulmine obruisse [2]). — P. 264, 22; 265, 1; 9 '*mactus hoc vino inferio esto*' [3]) erat libandi formula sollemnis, qua iam utitur Cato d. agr. c. 132, 2 '*Iuppiter dapalis, macte istace dape pollucenda esto, macte vino inferio esto*' e. q. s.; 134, 3 '*Iuppiter macte isto ferto esto, macte vino inferio esto*' [4]). Cf. Isid. orig. XX 3, 7. — Quibus haud scio an addi possint p. 63, 5 *trulleus*, quae est vox valde a Catone amata, velut d. agr. c. 10, 2, Orig. frg. 50; legitur praeterea apud Lucil. sat. XV

1) Apud ceteros scriptores piscis genus significat torpedo. Cf. Varr. d. l. l. V 77; Cic. d. nat. de. II 127; Plin. N. h. IX 57; 78; Apic. IX 4, 5.

2) Vulgaris vocabuli significatio est = latro. Cf. Cic. d. fato 15; Suet. Aug. 32; Caes. 72. Cf. corp. gloss. IV 598, 35. — Apul. M. VII p. 458, VIII p. 554, alibi *grassari* = praedari ponitur.

3) Quae verba quid significent ipse explicat Arnobius p. 265, 10: *tantum esto mactus quantum volo, tantum amplificatus quantum iubeo* . . ." e. q. s. Cf. Serv. ad Aen. IX 641 *mactus est taurus vino*; Fest. Pauli p. 125, 6 *mactus: magis auctus*; Non. p. 341, 16; schol. ad Hor. sat. I 2, 31; Isid. or. X 165. Adde p. 258, 15 magmentum (cf. Korssen, Zeitschr. f. vgl. Sprachf. t. III 270).

4) Ad 'vinum inferium' explicandum addit Arnobius Trebatii Testae (cf. Teuffel h. l. p. 420) interpretationem, qui dicit: inferium ea de causa esse additum „*ne vinum omne omnino* . . . *esse sacrum incipiat et ex usibus eripiatur humanis*". Porro Trebatium inferium illud ab 'inferre' (h. e. offerre) duxisse: „*addito ergo hoc verbo solum erit quod inferetur sacrum*". Fest. ex Paulo contra aliter interpretatur p. 113, 2 „*inferium vinum: id quod in sacrificando infra paterae labrum ponebatur*".

v. 511 (Marx); Plin. N. h. XXXIV 7. Cf. Varro d. l. l. V 118; Non. p. 547; corp. gloss. — P. 79, 1 *sirpia* (h. e. canistrum ex iuncis factum) = Cato d. agr. 10, 3; Varro d. l. l. V 139; d. r. r. I 23 a. m.; Ovid. fast. VI 680. — P. 82, 7 *spirula*[1]) (h. e. deminutivum a spira, quo vocabulo hoc loco '*genus operis pistorii*' significatur; cf. Fest. p. 330, 15) = Cato d. agr. c. 77, ubi nimirum simplex '*spira*' extat. — P. 29, 29 *veternosus* (h. e. hydropicus: „*veternosae fugiebant undae*"). Cf. Catonis fragm. apud Festum Pauli p. 369, 9 *Cato veternosum hydropicum intellegi voluit*, e. q. s. Eodem sensu profert Plin. N. h. XX 24. Cf. corp. gloss. *veternosus*: φθισικός, ὑδρωπικός II 207, 46; 462, 23[2]).

Voces Varronianas non sine iure nominari posse has censeo: p. 257, 12 *apexao* (h. e. farciminis genus; „*apexaones hirciae silicernia longavi*[3]) [sic Reiffersch.] *quae sunt nomina et farciminum genera, hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus*") = Varro d. l. l. V 111 „*quod in hoc farcimine summo quiddam eminet, ab eo quod ut in capite apex, apexabo dicta*". Corp. gloss. *apexabo: farcimen ex hoc rotundum* V 440, 30; 561, 13. Cf. thes. ling. lat. — P. 258, 14 *magmentum* (... *non magmenta, non augmina* ...) = Varro d. l. l. V 112 *m. a magis, quod ad religionem magis pertinet*. Placid. V 33, 10 = V 82, 20 *alii pinguissimum extorum, alii secunda prosecta; Cornutus quicquid mactatur, i. e. quicquid distrahitur*. Cf. Serv. ad Aen. IV 57[4]). — Idem fere significare videtur *augmen* (h. e. augmentum)[5]) = Varro d. l. l. V 112 *augmentum: quod ex immolata hostia desectum in iecore in porriciendo augendi causa*. Fortasse huc spectat Apic. 3, 112; 7, 264. Cf. Wissowa, Relig. u. Kult d. Römer, p. 352; thes. ling. lat. —

1) Cod. perperam exhibet 'spicula'. Sabaeus rectam lectionem restituit.

2) Latiore sensu usurpatum recurrit verbum p. 26, 12 *veternosae arbores* (h. e. vetustate confectae), ut iam Terentius posuit Eun. v. 688; tum Sen. d. ira I 16 a med.; Sidon. ep. I 1; Augustin. Mign. I 754; 1350; VII 194, alibi (= languidus); Cassiod. 1 Var. 25.

3) De ceteris his vocibus suo loco agetur.

4) Cf. etiam Fest. Pauli p. 126, 4, ubi codd. edd. vett. exhibent: *magmentum* (quod correxit Od. Mueller in '*magmentatum*' offendens in insequentibus verbis): *magis augmentatum*. — *Magmentaria* loca appellantur ubi eiusmodi sacrificia perpetrabantur. Cf. Varro d. l. l. V 112; Cic. d. har. resp. 31; Corp. gloss. II 126, 13.

5) '*augmen*' hac quidem significatione est proprie dictum Arnobii, perinde ac dicit p. 259, 8 *omen* = *omentum*; p. 258, 9 *salsamen* = *salsamentum*; p. 257, 20 *polimen* = *polimentum*, alia, quippe qui valde hunc sollemnem verborum exitum amaverit (cf. supra). Haud mediocriter autem sum miratus, quod Carolus Sittl, Die lok. Verschied. p. 121 adn. 76 et Stange l. l. p. 5 hoc verbum cum Lucretiano '*augmen*' (h. e. incrementum velut I 434, II 188, V 681) prorsus ab hac significatione discrepante confuderunt.

P. 189, 1 *castus* IV. decl. (*temperatus* [h. e. abstinentia] *ab alimonio panis, cui rei dedistis nomen castus*) = Varro apud Nonium p. 197, 13 (*multiplices castus*), Naevius ibid. p. 197, 15 (= frg. 30 ex bello Punico *praedicit castus*). Cf. Gell. X 15, 1 qui huius rei testimonia librorum „*qui de sacerdotibus publicis compositi sunt*" et Fabii Pictoris ex I. libro affert.; Fest. p. 154, 20 sq. („*minuebatur luctus* ... *cum in casto Cereris constitissent*"); Tertull. ieiun. 16 (*castus Isidis et Cybeles*); adde Wissowam Real-Encyclop.[1]). — Haud scio an hic afferre liceat p. 257, 12 *longavus*[2]), cui vocabulo fortasse respondeat Varronianum d. l. l. V 111 *longavo: quod longius quam duo illa* (h. e. intestini quoddam genus). Recurrit vox apud Vegetium veter. I 42; Apicium 4, 2. Cf. Isid. or. XI 1, 101; gl.: *longao*: κολέντερος II 124, 22; *longabo, longaonem*: τενεσμόν III 602, 28. — His addo p. 226, 17 *runcina* = Varro d. l. l. VI 96 (... *runcina, cuius* ῥυκάνη *origo Graeca*); Plin. N. h. XVI 225; Tertull. apol. c. 12; Vulg. Ies. 44, 13. — P. 67, 5 *seliquastrum* = Varro d. l. l. V 128 (ubi Aldus *seliquastrum*, codices '*siliquastrum*' habent) = Fest. p. 340, 10 *seliquastra sedilia antiqui generis appellantur* e. q. s. Solus praeterea habet Hygin. astr. II 10. Cf. corp. gloss. *seliquastrum: sellae genus* IV 172, 32; V 513, 55. De formis '*siliquastrum*' et '*siliquistrum*' cf. praef. ad Iuven. ed. Friedlaenderii p. 110. — P. 140, 27 *proloquium* (h. e. pronuntiatum), p. 176, 8 (*proloquii sententia*), p. 207, 23 (... *communibus in proloquiis*). Cf. Gell. XVI 8, 6 „*M. Varro in libro d. l. l. ad Ciceronem XXIV expeditissime ita finit: proloquium est sententia, in qua nil desideratur. ... et omnino quicquid ita dicitur plena atque perfecta verborum sententia ... id a dialecticis* ἀξίωμα *appellatum est, a M. Varrone, sicut dixi, proloquium, a M. autem Cicerone* (*Tusc. I 7*) *pronuntiatum*". Similiter Apul. d. dog. Plat. p. 265 interpretatur: ... *absolutam sententiam quam vocat Sergius effatum, Varro proloquium, Cicero enuntiatum, Graeci protasin, tum axioma* ... e. q. s. Hoc sensu

1) Cf. Arnob. p. 82, 7 *castellamentum* = genus cibi.

2) '*Longaevi*' codicis ineptam lectionem in '*longavi*' correxit Salmas. probante Reiffersch., quae forma nullo testimonio firmari potest. Sed '*longavo*' praeferendum esse vix videatur.

semel praeterea occurrit vox apud Mart. Capellam IV § 341 [1]. — Denique p. 166, 21 *postilio* (est terminus sollemnis ad cultum deorum pertinens) = Varro d. l. l. V 148 (*responsum deum Manio postilionem postulare*), quamquam etiam Cicero usus est voce de har. resp. 23. Cf. gl. Scal. *postilio: postulatio* V 607, 6. — Verba affero haec: p. 226, 15 *descobinare* (h. e. levigare; cod. *discobinare*; Gelen. praetulit formam magis probatam 'descobinare') = Varro Sat. Men. 89 (B. = 116, 7 Riese): *descobinare supercilia caestis*. Idem Sat. Men. 296 (B.). Cf. Non. p. 99 (gl. V 640, 45). — P. 35, 25 *returare* [2]) (*auriculas*, h. e. aperire) = Varro apud Non. p. 167 (*pueri obscenis verbis novae nuptae aures returant*). Cf. gloss.: *returare: aperire* V 646, 63. — P. 94, 4 *orbitus* [3]) (*orbito ... in motu*) = Varro teste Nonio p. 148 (= sat. frg. 202 [B. = 146, 3 R.]) ex libro, qui inscriptus erat γνῶθι σαυτόν ('*ut sidera . . . quae volvuntur motu orbito*'). — Haec mihi satis sit attulisse vocabula Varroniana, quibus etiam alia addi posse non ignoro.

Praeterea apud Arnobium copia verborum insolitorum invenitur, quae apud diversos auctores raro occurrunt. Quorum vocabulorum iterum aliquot ad cultum — atque ut diligentius dicam — ad pontificalia sacrificia pertinere videntur. Talia verba pontificalia primo loco liceat commemorare [4]) haec: p. 263, 14 *bria* ('*date quaeso immortalibus diis, ut bibant, scyphos, brias, pateras simpuviaque depromite*'. . .). Cf. c. gl. *bria:* εἶδος ἀγγείου II 31, 19; adde Charis. I 83, 16 (Keil) *bria . . . est vas vinarium*. Quam vocem raram solus suscepisse videtur Apul. (nimirum ex coni.; cf. adn. Hild.) Apol. c. 59 (= p. 526). — P. 166, 23; 263, 14 *simpuvium* [5]).

1) Composuit Aelius Stilo, Varronis ille praeceptor, Gellii testimonio XVI 8, 2 singulare '*commentarium de proloquiis*'.

2) Quae est certissima Salmasii coniectura pro corrupto 'recusare', quam omnes editores receperunt. — Georg. quidem in lexico 'returare' illud apud Varronem = complere intellegit.

3) Ex probabilissima Hildebrandi coniectura; cod. perperam exhibet: 'orbi toto'.

4) Cf. M. Kretzer, *de Romanorum vocabulis pontificalibus*, Halae 1903.

5) *Simpulum* vasculum fuisse videtur, quo usi sunt in vino infundendo. Kretzerus quidem utramque vocem secernendam esse negat p. 66 l. l. Ac vero Fest. Pauli p. 337, 10 '*simpulum*' isdem fere verbis explicat atque schol. Iuven. l. l. *simpuvium*. Cf. Varro d. l. l. V 124; Non. p. 544, 27; Corp. gloss. II 184, 17; Plin. N. h. XXXV 158; Cic. legg. III 36; Tertull. apol. c. 13; Prudent. peristeph. II 514 (p. 930 Migne).

Cf. schol. Iuvenal. VI 343: *simpuvium: vas sacrificiis aptum in quo pontifices lavare solebant. Simpuvium autem quia omnes sacerdotes simul bibebant*, e. q. s. Recurrit vox apud Varron. Men. 115 (B.); Cic. d. rep. VI 2 (Muell.); Apul. d. mag. c. 18 (= p. 434); Cassiod. de orthogr. VI (p. 613 Mig.). — P. 259, 4 *prosiciae* [1]) = Solin. 5, 23; Mart. Cap. I 9. Gl. *prosiciae: exta prosecta* IV 151, 27; V 436, 65. — P. 258, 12 ruma f. (. . . '*rumas quae sunt prima in gurgulionibus capita*'). Cf. Serv. ad Verg. ecl. 6, 54; corp. gloss. V 241, 28 [2]). — P. 257, 22 *omentum* (cf. p. 259, 8 *omen* eodem sensu positum) quid sit ipse explicat Arnob. v. 23 '*pars quaedam qua receptacula ventrium circumretita finiuntur*'. Praeterea legitur apud Pers. V 74; Apic. V 194; Macrob. Saturn. VII 9, 14; Suet. frg. 104 (p. 133, 10 Reiff.). Cf. gloss. *omentum: mappa ventris* IV 371, 48, alia. — P. 82, 9 *tuccetum* (. . . *glacialia conditione tucceta*). Cf. gloss. *tuccetum: bubula apud Alpinos Gallos condita* IV 187, 49; V 487, 35; 517, 45. *Tuccetum:* ζωμὸς παχύς II 202, 53. Cf. Fulgent. exp. prisc. serm. 41; schol. ad Pers. II 42; Apul. M. II c. 7 (= p. 103: *tuccetum perquam sapidissimum*); M. VII p. 466; IX p. 636. Cf. adnott. Hildebrandi in ed. Arnob. p. 90 et Wessneri ad Fulg. in comm. Ien. VI 2 p. 122. — P. 82, 8 *caro suminata*. Solus adhibet vocem '*suminata*' Lamprid. Alex. Sever. 22. — P. 258, 9 *salsamen;* recurrit in glossario, cf. ταρίχιον II 451, 55. — P. 257, 17 *catillamen* (codex corrupte exhibet '*catillaminuam*'; *catillaminum* genet. plural. recte restituit Meurs.). — P. 155, 2 *suffimentum*. Cf. Fest. p. 348, 18 *suffimenta sunt, quae [faciebant ex faba milio]que molito, multo spar[so; ea diis dabantur eo tempo]re, quo uvae calcatae [prelo premuntur]*. Cf. Paul. p. 349, 4; Cic. I leg. 40; Plin. XV 135. Adde gloss. *suffimenta:* καπνίσματα III 170, 45; 239, 21. — P. 176, 1 *suffitio*. Cf. Fest. Pauli p. 3, 1 . . . *funus prosecuti redeuntes ignem supergradiebantur aqua aspersi; quod purgationis genus vocabant suffitionem*. Idem sub lemmate

1) Cod. perperam exhibet '*praesiciae*'. Cf. Varro d. l. l. V 110 *prosecta*; idem teste Nonio usus est forma '*prosicies*'. *Prosecia* I. decl. Lucil. Sat. 14, 12. Cf. Paul. ex Festo p. 225, 15 *prosicium*; Plaut. Poen. v. 456 *votui exta prosecarier*.

2) Extabat quoque forma *rumen* = guttur. Cf. Fest. Pauli p. 271, 6; 9, 14; Pompon. com. fr. 152; Tertull. res. carn. 4. — *Ruma* etiam alteram habet significationem = mamma, quo sensu usus est voce Varro teste Nonio p. 167, 23; idem d. r. r. II 11, 5; Plin. N. h. XV 77. Cf. Paul. ex Fest. p. 271, 4 qui explicat vocem '*rumis*' pro mamma dici.

laureati ... *laurum omnibus suffitionibus adhiberi solitum erat.* Cf. Plin. N. h. XXV 12. Col. I 6. Gloss. *suffitio:* ὑποθυμίασις II 191, 64. — P. 174, 11 *caepicium* (h. e. cepe; *caepicio* sc. *expiabis fulgurita*), quae forma recurrit apud solum Flavium Caprum [1]) teste Prisciano VI 11. — P. 258, 2 *fitilla;* cf. gloss. *fitilla: cibi genus ex farre* IV 76, 47 (*pultes cum larido in sacris gentilium*); Plin. N. h. XVIII 84; Sueii frg. 4 p. 313 (Mueller in ed. Lucil.); Sen. ben. I 6, 3. V. Woelfflin Arch. X 513. — Ad mysteria Cereris pertinet vox '*cinnus*' [2]) (= cyceon) p. 196, 15. Cf. Non. p. 43, 21 '*cinnus potionis genus ex multis liquoribus confectum dici solet*'. Cf. ibid. p. 59, 30. Glossaria aliter vocem explicant atque eam confundere videntur cum 'cicinnus'. Simili ratione usurpavit '*concinnare*' Apul. M. VII p. 466 [3]). — P. 44, 18 *pulvinarium* (h. e. plenior forma pro 'pulvinar') apud solum Livium XXI 62, 5 eadem significatione recurrit [4]). — Alia insolita haec addo vocabula: p. 5, 9 *navitas,* quo verbo semel usus est unicus Cicero in ep. X 25, 1. — P. 227, 30 *pendigo* (h. e. spatium vacuum simulacri), quam vocem Vegetius veter. II 44; 55, 4 pro interno corporis damno posuit. — P. 32, 11; 34, 12 *vitiligo;* cf. Fest. Pauli p. 369, 16: *vitiligo in corpore hominis macula alba, quam Graeci ἀλφόν vocant* e. q. s. Cf. Lucil. ibid. Gloss. *vitiligo:* ἀλφός II 212, 30; *vitilico: macula alba* IV 193, 40, alia. Praeterea adhibent vocem Sen., Cels. V 28, 19; Apul. apol. c. 50 (= p. 508); Firm. Astron. VI 31. — P. 41, 3 *stribiligo* solus interpretatur Gellius V 20, 1 hac ratione: *Soloecismus latino vocabulo a Sinnio Capitone et eiusdem aetatis aliis imparilitas appellatus, vetustioribus Latinis 'stribiligo' dicebatur, a versura videlicet et pravitate tortuosae orationis, tamquam 'strobiligo' quaedam.* — Porro vocem sane priscam huc referri posse censeo p. 66, 11; 181, 21 *aevitas* (h. e. aetas) = leg. XII. tab. teste Cicerone legg. III 7 et 9; Gell. XX 1, 25. Varro apud Non.

---

1) Composuit libros '*de lingua latina*' (cf. Prisc. G. L. 2, 171, 14; 212, 14) (K.) et '*de dubiis generibus*' inscriptos. Idem a Prisciano qui effuse eius libros excerpsit '*doctissimus antiquitatis perscrutator*' (G. L. 2, 188, 22 Keil.) atque '*antiquitatis doctissimus inquisitor*' appellatur (ibid. 354, 9).

2) Codex perperam scribit: '*potionem cynnm*'. Reiff. '*potionem cinni*'.

3) *tucceta concinnare;* cf. ea quae explicat ad hunc locum Hildebrandus. V. Wessneri adnot. ad Fulg. exp. prisc. serm. n. 46 in comm. Ien. VI p. 123.

4) *pulvinarium* a Plauto in Cas. v. 557 (III 2, 27) pro statione navis dicitur.

p. 193, 8; Apul. d. dog. Plat. I c. 12 (p. 206); Chalcid. 38. Cf. Placid. V 3, 12 = V 45, 22 *aevitas quidem potest dici, sed rarum est, in usu magis perpetuitas vel aeternitas dicitur.* Cf. Prisc. II 81, 6 (H.) *antiqui ... aevitas dicebant ab aevo.* Isid. or. V 38, 3. Cf. thes. l. l. — Vocibus insolitis haec quoque adnumero: p. 236, 28 *sanna* = Pers. I 62, V 91; Iuven. VI 305. Cf. Porphyr. ad Hor. sat. II 6, 63. Gloss.: *sanna:* μῶκος II 374, 41; *est tortio narium* V 623, 35, alia. — P. 35, 4 *reduvia;* cf. Festus p. 270, 17: *rediviam quidam, alii reluvium appellant, cum circa unguis cutis se resolvit, quia luere est solvere ...* e. q. s. Sequentibus Titinius (com. frg. 132) et Laevius memorantur. Proverbiali usu dicitur a Cicerone pro Roscio Amer. 128 *cum capiti mederi debeam reduviam curo;* cf. Plin. XXX 111. Gloss. *reduvia:* παρωνυχίς, II 170, 43: παρωνυχία II 399, 9 [1]). — P. 104, 5 *destina; (baiulum, tibicinem [2]) ac destinam caeli* nominat Arnob. Atlantem) = Vitruv. V 12, 5. Postea susceperunt vocem Augustin. serm. 12, 12; de anim. 2, 4, 8 Corippus Afer paneg. d. laudd. Iustin. I 18 (*Thomas ... destina terrae*). Cf. gloss. *destina:* ἔρεισμα III 190, 39. — P. 232, 7 *gingrites anserum.* Cf. Fest. Pauli p. 95, 5 *gingrire: anserum vocis proprium est;* gloss. Ps.-Philox. ... *gingriunt:* χῆνες ἐκβοῶσιν II 33, 55 (v. Dammann comm. Ien. V 37). — Quamquam originem Graecam prae se ferunt, nihilominus inusitata insolitaque fuisse videntur vocabula haec: p. 267, 11 *salapitta* (h. e. alapa); *delectantur salapittarum sonitu.* Cf. gloss. *salapitta:* ῥάπισμα II 177, 25. — P. 236, 28 *mania* (*mortales ... ut sannis ... constringerentur et maniis*). Cf. Fest. Pauli p. 128, 8 ... *Manias ... quas nutrices minitentur pueris parvolis esse larvas, i. e. manes quos deos deasque putabant quosque ab inferis ad superos emanare credebant;* e. q. s. Tum Fest. p. 145, 22 sub '*Manius*': (Sinnius Capito) *ait ... turpes et deformes significari, quia Maniae dicuntur deformes personae.* Solus profert vocem hac significatione Mart. Cap. II 164. Cf. gloss. *maniae:*

---

1) Alio ac fortasse genuino sensu utitur vocabulo Placidus, cum explicat V 39, 12 = V 96, 14 = V 143, 42 *reduviae dicuntur spolia serpentum, quibus quotquot annis senescunt sese exuunt,* e. q. s. Eadem significatione recurrit apud Plin. N. h. XXVIII 40 et Solin. 9, 9; 32, 25 (*reduviae conchyliorum* h. e. exuviae).

2) *tibicen* = pilastrum; cf. Fest. Pauli p. 366, 3; Ovid. fast. IV 695; schol. ad Iuvenal. III 193; corp. gloss.

formidinum imagines V 604, 48; 635, 27 [1]). — P. 67, 1 *calautica* = Afran. com. fr. 37; cf. Non. p. 573, 12 *est tegmen muliebre* e. q. s.; Cic. pro Clod. 5, 3 p. 30 (Klotz); Serv. ad Aen. IX 613; Ulp. dig. 34, 2, 25; Auson. perioch. Odyss. 5; gl. εἶδος ζώνης II 95, 14 [2]). — P. 78, 29 *bolonae* plur. (βολώνης). Cf. Placid. V 8, 14 = V 50, 11 *bolona: redemptor cetariarum tabernarum, in quibus salsamenta condiuntur,* e. q. s.; *bolonae: μεταπρᾶται, παλιγκάπηλοι* II 30, 41; adde IV 314, 52; 595, 1. De ipso artificio piscatorio adhibet vocem Donat. ad Terent. Eun. II 2, 26. — P. 118, 15; 167, 28 *chalcidicum.* Fest. Pauli interpretatur p. 52, 9 *genus aedificii ab urbe Chalcidica dictum.* Recurrit apud Vitruv. V 1, 4; monum. Ancyran. Auson. perioch. Od. l. I. Cf. corp. gloss. V 174, 4; 596, 42. — P. 236, 18 *caliendrum* [3]) = Varro sat. Men. 237, 4 (R.) *caliandrum;* Hor. sat. I 8, 48; cf. Porphyr. schol. ad h. l.; Tertull. pall. 4; gl. *κόσμιον κεφαλῆς* II 96, 20; *quo capillus mulieris convenit in ornamentum ad occipitium* IV 29, 38; Sittl Arch. II 479. — Denique nescio an hic ponam p. 219, 12 *polyandrium* (πολυάνδριον). Cf. gloss. *multorum sepultura; tumulus mortuorum* V 576, 24. Solus exhibet Lactant. epit. 72, 17 (67, 7). — Verba affero haec: p. 194, 11 *rumigare,* quod Apuleius iam suscepit M. IV c. 22; Gargil. Martial. Cf. gloss. *rumigat: masticat* V 480, 43. — P. 78, 27 *flatare* (*tibiis calamoque flatantes*) = Ammian. 29, 1, 33 (ex coniect.). Cf. Fest. ex Paulo p. 89, 7 *flator: tibicen.* — P. 161, 1 *pransitare* = Vitruv. VIII 3, 16; Lamprid. Elag. 27; Macrob. Saturn. III 17, 1. — Porro speciem quandam antiquitatis prae se ferre videntur adiectiva haec: p. 205, 10; 206, 13 *ambifarius,* adv. *ambifariam;* posuit Apul. Flor. IV p. 88; Apol. c. 4 (387); Sidon. ep. 9, 11, 2. — P. 236, 5 *riciniatus* (Iuppiter); apud Festum p. 277, 1 recurrit forma *reciniatus* (h. e. recinio indutus); invenitur etiam in act. fratr. arval. Corp. insc. VI 1 p. 499 tab. II 9. De *recinio* cf. ea quae docent Varro d. l. l. V 132; Fest. p. 274, 32; de rica cf. Fest. p. 277, 5. — P. 174, 4 *aviditer;* cf. Placid. V 7, 19 = V 49, 5

1) Haud scio an huc fortasse quodammodo spectent ea quae explicat Paulus ex Fest. p. 121, 17 (*laneae effigies* e. q. s.) et p. 239, 1 (*pilae et effigies* e. q. s.). — De Mania matre larum cf. Varr. d. l. l. IX 61; Macrob. Saturn. I 7, 34; Mart. Cap. II 164. Cf. Wissowa, Relig. u. Kult d. R. p. 153 et 193.

2) Cf. *decalauticare* apud Lucil. 26, 72 (Muell.).

3) Cod. habet '*caliandria*' (pl.), quae forma nullo testimonio firmari potest. Propterea praetulerim '*caliandrum*' sive '*caliendrum*'.

aviditer: avide. Apul. M. IV c. 7 (p. 251) [1]). — Denique de voce '*babaecalus*' p. 159, 11 (*babaecali adulescentes;* cod. '*babecali*'; h. e. voluptati obsequentes, cf. Petron. Sat. 37, 10; Sittl, Arch. II 610) certi quidquam statuere non ausim [2]). Cf. thes. l. l.

Pervenimus nunc ad singulariter ab Arnobio dicta et ἅπαξ λεγόμενα quae vocantur. Atque nescio quo pacto inprimis ea sunt vocabula, quae ad cultum usumque pontificalem spectant (cf. Luebbert, commentationes pontificales, Berol. 1859; Kretzer, de Roman. vocabulis pontificalibus, Hal. 1903; Wissowa, Rel. u. Kult der Römer). Ipsum vero Arnobium magna ex parte ea non iam intellexisse satis docere videntur eiusdem verba p. 258, 16: . . . *quibus indidistis nomina obscura.* Quae insolitae cascaeque voces deinceps fere omnes proferuntur (p. 257, 8 — 259, 9), ubi auctor paganorum sollemnia sacrificia insectatur [3]). Ex quibus proprie dicta apud Arnobium inveniuntur haec, quae eodem ordine mihi liceat enumerare quo proferuntur ab auctore: p. 257, 12 ***hircia*** I. decl. (farciminis genus) [4]). — P. 257, 14 *taeda* (*quid taeda, quid neniae, quid . . . ? ex quibus quod primum est* [scil. taeda] *in exiguas arvina est miculas catillaminum insecta de more*). — P. 257, 20 *polimen* (*polimina* p. 257, 24 *sunt ea quae nos proles verecundius dicimus, a volgaribus autem adsolent cognomine testium nuncupari*). — P. 257, 21 *palasea* sive *plasea* (p. 257, 23 *bovis cauda est siligine et sanguine delibuta*). — P. 258, 2 *quid fitilla, quid frumen, quid africia, quid gratilla, catumeum † cumspolium cubula?*

1) Forcellinius in lexico et Kretschmannus l. l. p. 52, 6 perperam affirmant apud Arnobium VI 9 (= p. 221, 9) '*vulgarius*' = vulgaris legi. Nam cod. sine varia lectione exhibet '*in vulgaribus proverbiis*'. Cf. ed. Hild. appar. crit. p. 500.

2) Ex toto insolitorum verborum numero haec mihi satis sit attulisse, quamquam multa alia hic etiam commemorari posse non ignoro.

3) Cf. p. 257, 9 „*quid sibi reliqua haec volunt magorum cohaerentia disciplinis, quae in sacrorum reconditis legibus pontificalia † restituere mysteria et rebus inseruere divinis?*“ — Quorum vocabulorum aliquot suo loco iam commemoravimus velut p. 257, 12 apexabo; ibid. longao (Reiff. longavi). — P. 257, 17 catillamen — P. 257, 21 omentum — P. 258, 2 fitilla — P. 258, 9 salsamen — P. 258, 12 ruma — P. 259, 9 augmentum — P. 258, 15 magmentum — P. 264, 21 vinum inferium — P. 82, 9 tuccetum — P. 263, 14 bria — P. 67, 6 batioca — P. 166, 23; 263, 14 simpuvium — P. 259, 4 prosiciae alia. — Atque de ceteris infra agetur.

4) Quamquam praeferam '*ircei*' formam testimonio optimo confirmatam; ad quam quaestionem parte sequenti redibimus.

(*ex quibus duo quae prima sunt pultium nomina sed genere et qualitate diversa, series vero quae sequitur liborum significantias continet*). — P. 258, 8 *pulpamenta assa*[1]) (*non enim placet carnem strebulam nominare . . . pulpamenta non assa, non quae in veribus exta sunt, animata prunis et torrefacta carbonibus, non salsamina denique, quae sunt una commixtio quadrinis copulata de frugibus*). — P. 258, 11 *fendicae* (*quae et ipsae sunt hirae, quas plebis oratio illas solet cum eloquitur nuncupare*). — P. 258, 15 *augmen* (h. e. augmentum; cf. supra sub vocibus Varronianis). — P. 259, 8 *omen* (h. e. omentum; cf. supra). — P. 82, 8 *castellamentum*[2]) est genus cibi ex carne compositi. — Quibus fortasse addi haec possunt: p. 258, 15 †*amensanguines* (?) — P. 239, 26 *cnisa* (κνίση) — Deminutiva: p. 259, 12 *matteola* (cf. Varro d. l. l. V 112 *mattea ab eo quod Graeci* ματτύη; Petron. 65, 1; 74, 6; Mart. X 59, 4; XIII 92, 2; Sen. contr. IX 4, 20; Suet. Cal. 38; Tertull. d. an. 4). — P. 259, 16 *testiculus* (= testis). Cetera haec inveni Arnobii proprie dicta[3]): p. 13, 8 *duellis* (= hostis). — P. 226, 15 *grosa*, in solis glossariis extat: *grosa: rasoria* V 206, 9; ξυστήρ III 207, 44. — P. 226, 17 *plana*; gloss. *plana*: ῥυκάνη III 325, 64. — P. 178, 19 *attagus* (*Phryges attagos hirquos nuncupant*; cf. ion. ἄττηγος. Cf. thes. l. l.). — P. 27, 23; 218, 16 *busticetum*; gloss. *sepulcra antiqua, ubi antiqui mortuos incendebant* V 173, 12;

1) Cf. Varro Sat. Men. 316 (B.) *asse pulmentarium*.

2) Verbis in '*mentum*' exeuntibus nimis indulgebat Arnobius, quoniam isto verborum exitu gravem quendam austerumque colorem conservat oratio; satis habeo nonnulla tantum attulisse: P. 243, 3 *placamentum* — P. 126, 4 *ferramentum* — P. 122, 24 *formamentum* — P. 4, 17 *temperamentum* — P. 187, 7 *avocamentum* (h. e. consolatio, inprimis vox Afris scriptoribus propria cf. Roensch l. l. p. 24) — P. 74, 14 *fermentum* — P. 39, 25 *purgamentum* — P. 120, 9 *coagmentum* — P. 86, 12 *honestamentum* — P. 254, 17; 19 *supplicamentum* — P. 192, 28 *liniamentum* — P. 183, 1 *inritamentum* — P. 228, 23 *nidamentum* — P. 113, 23; 142, 13 (in universum sexies) *figmentum*, vox praecipue Afris propria; cf. Roensch l. l. p. 23.

3) Quorum nimirum aliquot in glossariis explicantur. — Quibus in enumerandis vocabulis neglegemus consulto ea quae in *tor*, *trix*, *tas*, *abilis*, *ibilis*, *ilis* exeunt, quatenus non ad insolitam exoletamque dicendi rationem spectant; perinde atque deminutiva ista paene innumerabilia, in quibus adhibendis etiam magis luxuriatus est Arnobius quam Apuleius. Quae deminutiva aut deridendi despiciendique causa posita sunt, aut — quod plurimis locis perspicitur — ad merum fucandi variandique sermonis colorem in usum vocantur. Cf. Koziol, Der Stil d. Apul. p. 260.

sepulcra antiquorum V 444, 2, alia. — P. 184, 7 *peniculamentum* (= penis)[1]). — P. 161, 19; 202, 12 *genialia* n. pl. (= lectus genialis). — Originem Graecam produnt p. 67, 1 *mucinnium* (μυκίννιον = mappa). — P. 79, 2 *panchrestarius* (= crustularius). — P. 195, 17 *pannychismus*. — P. 78, 29 *picarius* (sic leg. Reiff.; cod. '*pigarios*' aliique alia viri docti maluerunt: Sab. '*bigarios*' Salm. '*cybiarios*') hominem scil. intellego qui picem vendit, quamquam vocem in nullo lexico inveni. Quod p. 57, 13 leguntur verba: *post deinde perlatum Brundam* (h. e. Brundisium) haud scio an ea spectent ad Festi Pauli quae extant verba p. 33, 4: *Brundisium quidam poetae brevitatis causa Brendam dixerunt*. — — Denique de '*canacheni*' p. 234, 25 obscurissima ista voce optimum videtur nil dixisse, praesertim cum possit dubitari, num lectio tradita integra sit. Cf. adnot. in Orellii edit. Georges in lexico interpretatur genus planorum intellegendum esse, qui ludant[2]). — Verba affero haec: p. 251, 19; 27; 261, 10 *aucti-*

1) Ceteri scriptores pro vestimento utuntur voce ut Lucil. v. 565 (Marx). Cf. Non. p. 149, 27; Enn. Ann. v. 362; Gl. V 645, 23. Cf. Fest. p. 230, 24.

2) Non sine aliqua dubitatione huc referam nonnulla vocabula, quae, ut ἅπαξ λεγόμενα apud Arnobium inveniuntur, ita cognominis loco usurpata recurrunt, atque ea p. 121, 18 *labeo* (*labio* Verr. Flacc. ap. Charis. 103, 8 K.); p. 121, 19 *mento*; p. 121, 19 *naevius*; 121, 18 *ciluncculus* (cf. C. Hostilius *Ciluncculus*) demin. a '*cilo*'; cf. Fest. Pauli p. 43 *cilo cui frons est eminentior* q. s.; Charis. p. 102, 1 Keil; Placid. V 14, 14 = V 55, 5; Non. p. 25. Cf. gl.; Loewe prod. 392. — Ex deminutivis pauca tantum liceat delibare: P. 67, 5 *lancicula* — P. 187, 6 *textricula* (puella) — P. 63, 6 *lacernula* — P. 209, 6 *hinnula* — P. 224, 6 *petasunculus* — P. 123, 1 *asellulus*; cf. thes. l. l. — P. 94, 16; 259, 11 *frustillum* — P. 56, 4 *fervunculus*. — Addo nonnulla alia vocabula quae Arnobius orationi suae intexuit: P. 226, 16 *furfuraculum* (cf. gloss.: *perforaculum* IV 453, 27: τέρετρον III 204, 24 — P. 121, 23 *glabritas* — P. 248, 11 *ancillatus* IV. decl. — P. 32, 11 *ambulatus* IV. decl. — P. 249, 26 *structus* (lignorum) — P. 188, 27 *temperatus* IV. decl. — *Di indigetes* quorum obscura nomina apud solum Arnobium servantur inveniuntur hi: p. 132, 14. Iuno *Ossipagina* (p. 147, 8; 13 *Ossipago*) — P. 143, 19; 26 *Praestana dea* (*Praestitia* ap. Tertull. ad nat. II 11 appellatur) — P. 148, 11 *Lima* — P. 148, 15 *Limi* — P. 148, 6 *Lucrii* — P. 148, 15 *Montinus* — P. 147, 1 *Nemestrinus* — P. 147, 5; 149, 15 *Noduterensis* — P. 143, 22 *Panda* vel *Pantica*; cf. gl. *Panda*: εἰρήνης θεός II 141, 37 — P. 147, 2; 11 *Patella* et *Patellana* — P. 146, 20; 149, 15 *Perfica* — P. 147, 1; 11 *Peta* — P. 129, 2 *Potua* — P. 146, 29; 147, 11 *Puta* — P. 129, 1; 254, 10 *Unxia*. De his numinibus cf. apud Roscherum, Röm. Mythol. vol. II 1, 202 sq.; Wissowa, Relig. u. Kult d. R.

ficare (*deos*) idem fere significat ac p. 247, 31 *auctitare* (*sacris numinum potentias*): cf. thes. l. l. — P. 228, 4 *augustare*. — P. 158, 16 *conceptare* (= concipere). — P. 35, 24 *coarticulare*. — P. 201, 28 *coinbibere* (= sibi proponere, animum indicere; cod. '*conbibissetis*', rectam lectionem restituit Salmas.) [1]). — Adiectiva, quae fortasse ex prisco sermone sumpta sunt — quamquam exemplis demonstrari nequit, quoniam a solo Arnobio dicta sunt — haec satis habeo memorasse: P. 175, 28 *altercabilis*. — P. 146, 25; 265, 30 *auspicabilis*. — P. 66, 1; 233, 14 *frustrabilis;* cf. Roensch, l. l. p. 135; Sittl, Die lok. Versch. p. 142. — P. 253, 14 *subterreus*. — P. 117, 1 *insignificatus* (= non significatus). — P. 85, 9 *infucatus* (= non fucatus). — P. 239, 28 *incontiguus* (*omni tactu*). — P. 121, 21 ? *acrivox* (cod. '*sacrivoces*') ex coni. Gelen. Cf. thes. l. l. — Adverbia: p. 207, 2 *ambiformiter* (= ambigue). — P. 91, 1 *nominaliter*. — P. 140, 22 *propriatim* (Lucr. III 975 habet *propritim*). — Ad extremum restat, ut *proverbia* aliquot addamus, quae apud unicum Arnobium leguntur: p. 212, 21 *addidistis, ut dicitur, garo gerem* (h. e. preciosis vilia). Cf. Otto, Die Sprichwörter d. Römer p. 153. — P. 221, 9 *nonne illud est, quaeso, quod in vulgaribus proverbiis dicitur fabrum caedere cum ferias fullonem* (cf. Athen. 9, 380; Otto l. l. p. 128) *et cum hominis consilium quaeras ab asellis et porculis agendarum rerum sententias postulare?* Cf. Otto p. 41. — P. 199, 7 *tricas, quemadmodum dicitur conduplicare Tellenas;* cf. Otto p. 30. — P. 69, 13 *ex docta, ut dicitur, elementariam fieri* (sc. animam). Cf. Sen. epist. 36, 4; Otto p. 123 [2]).

1) Sic ponitur eadem significatione a Lucretio '*imbibere*' III 997, VI 72; cf. Heinze, Komment. p. 188; etiam Livius II 47, 12. — Praeterea commemoro (*ἅπαξ λεγόμενα*) verba finita: p. 120, 14 *atterminare* — P. 182, 21 *diiugare* — P. 171, 24; 238, 13 *disiugare* — P. 220, 23 *subexhibere* — P. 49, 17 *perinstringere* — P. 280, 24 *subexplicare* — P. 90, 16 *evideri*; alia.

2) Cf. p. 21, 24 *procul, ut dicitur, averruncetur amentia*; cf. Varro d. l. l. VII 102; Fest. Pauli p. 373, 4, ubi versus Pacuvii (v. 112 Ribb.) memoratur; qui idem versus a Nonio p. 74, 22 Lucilio tribuitur (fr. 26, 30): „*Di monerint meliora atque amentiam averruncassint tuam.*“ Cf. Otto l. l. p. 18. De talibus proverbialibus locutionibus, quae apud alios quoque auctores occurrunt cf. p. 11, 22 (Otto p. 133), p. 68, 8 (Otto p. 331), p. 90, 5 (Otto p. 258), p. 101, 26 (Otto p. 154); cf. praeterea Otto p. 1; 3; 101; 203; 211; 327.

II.

Unde — nunc denique quaerat quispiam — eam qua excellit diversarum disciplinarum scientiam sibi acquisivit Arnobius? Hoc vero constat, illum si veteres illos poetas, grammaticos, rerum scriptores, quos memorat quorumque utitur vocibus exoletis, ipse in manibus habuisset, excerpsisset, homo pro illo tempore doctissimus atque studiosissimus merito futurum fuisse ut videretur. Nam ut de grammaticis tantum dicam, praeter Varronem, quem quindecies memorat, affert Aelium (sc. Stilonem p. 136, 21; 137, 8), Caesium (p. 138, 9), Nigidium (p. 133, 18 alib.), Cornificium (p. 136, 23; 137, 12), Sextum Clodium (p. 190, 3), Granium (sc. Flaccum p. 132, 16 alib.), Trebatium (p. 264, 22), Epicadum (p. 41, 20), ibidem Caesellium (sc. Vindicem), Verrium (sc. Flaccum), Terentium Scaurum, Nisum. Accedit longa series scriptorum poetarumque et Graecorum et Romanorum. Num credamus Arnobium hos omnes, quorum placita profert, perlegisse auctores? Quamquam per se fieri potuisse non negaverim illum Frontonis aliorumque exemplum secutum ex ipsis scriptoribus excerpta fecisse, tamen diligentius intuentibus haec sententia nullo modo probari posse videtur. Primum enim id nos vetat credere mobile auctoris ingenium et levitas, qui, ut libros raros obscurosque legeret, tantum aberat, ut ne in iis quidem penitus et cum cura versaretur legendis scriptoribus, quorum libri tum praeter alios vigebant multumque auctoritate valebant. Etenim qui de religione christiana disputans ne evangelia quidem diligenter pertractaverit [1]), eumne censebimus libros cascos et exoletos, qui propter obscuritatem sine dubio rarissimi erant, non modo legisse, sed excerpsisse et ad studia sua adhibuisse? Quid quod commemorat Arnobius eos auctores, quorum libri illis temporibus etiam extitisse integri vix videntur, velut Cincium (sc. Alimentum p. 136, 26; 137, 14; 16), Fabium (Pictorem? p. 219, 21), Valerium pontificem (p. 180, 1), alios! Accedit quod Plauti aliquot fabulae, velut Cesistio, Astraba, Frivolaria, ex quibus illum nonnulla rara vocabula sumpsisse Festina harum fabularum fragmenta docent (cf. supra), Arnobii temporibus vix superstites videntur fuisse et si fuerunt, in umbra biblio-

1) Cf. quae p. 7 exposuimus.

thecarum latebant. Denique adeo multa in Arnobii libris occurrunt stili nimis festinantis vestigia atque obscuritates (cf. Reifferscheid in praef. ed. Arn. p. XIV, et Hieronymi iudicium in ep. 58, 10 p. 326 ed. Vallars.), ut prorsus videatur improbabile illum enixe atque penitus operam navasse in legendis ipsis tot auctorum libris. Ergo quoniam vix potest credi omnem hanc antiquitatis scientiam ipsum ex fontibus diversis conquisivisse auctorem, restat, ut ex fontibus expeditioribus hausisse eum suspicemur. Atque iam Kettnerus (Cornelius Labeo, ein Beitrag zur Quellenkritik des Arnobius, Pforta 1877, p. 1, 8 sqq.) docuit Arnobium in tractandis rebus divinis Cornelii Labeonis libros, inprimis qui inscripti erant 'de dis animalibus', quamquam more solito nusquam auctoris facit mentionem, non ita raro expilasse (cf. etiam ea quae exposuit Wissowa in libro Die Ueberlieferung üb. d. röm. Penaten p. 102 sq.): quam Kettneri sententiam postea confirmavit Guilelmus Kahl (Corn. Lab., ein Beitrag zur spätröm. Litt. Philol. suppl. V 719 sqq.), qui postquam quae Labeonis fragmenta apud Augustinum, Servium, Macrobium, Lydum, alios aliqua ex parte sub nomine eius feruntur, congessit (cf. p. 721—794), a quibusdam locis Arnobianis profectus quae ille Labeonis[1]) doctrinae debuisse videretur eruere conatus est. Nec non idem vir doctus simul quibus fontibus usus esset Labeo diligenter inquirere aggressus demonstravit auctorem identidem cum ex Granii Flacci, Nigidii Figuli, Hygini, Cornificii, Verrii, aliorum libris, tum ex promptuario illo uberrimo plurimorum inferioris aetatis scriptorum — Varronis dico antiquitates — vel ex fonte inde pendente, doctrinam compilasse atque contulisse[2]). Quam eandem viam in

1) Tertio fere saeculo p. Chr. n. floruisse videtur. Cf. Teuffel h. l. II p. 982; Kahl l. l. p. 804. Cuius quae extant apud auctores fragmenta, collegit Iacobus Muelleneisen (de Corn. Labeonis fragmentis, studiis adsectatoribus, diss. Marburg. 1889).

2) Quamquam Kettnerus p. 16 l. l. praecipuum Labeonis fontem Granii Flacci qui sunt de indigitamentis, libros fuisse putat atque (p. 17) Arnobii et Varronis consensum hac ratione esse explicandum, ut Granius et Varro eodem communi fonte, i. e. libris pontificalibus usi sint. Multo vero probabilius censeo Granium perinde atque aequales a Varrone pendere (cf. ea quae de hac re disserit Agahd l. l. p. 121 ab in.). Apud Roscherum quidem (Lexikon der Mythol. sub 'Indigitamenta' II 2 p. 141) merito dubitatur, num Labeo omnino Granii libros adhibuerit.

gressi sunt Iacobus Muelleneisen l. l. atque nuper Reinholdus Agahd (Fleckeis. Jahrb. f. klass. Philol. Suppl. XXIV p. 113 sq.; cf. p. 122 a med.; adde Wissowam l. l. p. 121, eundem in 'Real-Encycl.' IV p. 1353).

Sed iam ad singula transeamus. Kettnerus igitur iam animadvertit l. l. p. 17 ab Arnobio obscurorum deorum minutorum nomina (indigitum) in universum ordine alphabetico proferri, velut p. 148, 6 sq. *dii Lucrii* ... *Libentina Libera*[1]) ... *Limentinus Lima* (addo p. 148, 15: *Limi* ... *Montinus Murcida*); p. 143, 19 sq. *Praestana* ... *Panda* ... vel *Pantica* ... *Pellonia* (p. 146, 2 *Lateranus* ... *Militaris Venus*); p. 146, 20 *Perfica* ... *Pertunda* ... (*Tutunus*) ... *Puta* ... *Peta* ... *Patellana* ... *Patella* (cf. p. 147, 11; addo p. 147, 1 sq. *Nemestrinus* ... *Nodutis, Noduterensis* ... *Neniae*); p. 147, 6 sq. *Orbona* ... *Ossipago*. In quibus iam primo obtutu oritur suspicio, haec ex Labeonis libris '*de dis penatibus*' (cf. Macrob. Sat. III 4, 6) sive '*de dis animalibus*' (cf. Serv. ad Aen. III 168) qui inscripti sunt, excerpta esse (cf. etiam quae de hac re explicat Reinholdus Agahd l. l. p. 123 ab in.). Quam eandem sententiam postea (1888) probavit Guilelmus Kahl l. c. ratus (p. 725; 794) cum indigitamenta ista alphabetico ordine ab Arnobio prolata ex quodam glossario fortasse Verrii Flacci[2]) a Labeone esse descripta, tum etiam singula verba pontificalia ex eodem fonte magna ex parte fluxisse (p. 798), ut per mediam hanc viam in Arnobii libros haec pervenisse credas. Atque etiam Iacobus Muelleneisen (l. c. p. 25; 43) nimis credule confisus Fulgentii verbis[3]), qui dicit (expos. prisc. serm. n. 4; p. 769 Staveren; p. 89 Wessner) Labeonem *disciplinas Etruscas* ... *quindecim voluminibus* explanasse — non dubitat comparatis quibusdam similitudinibus, quin auctor ille Arnobii multa ex libris Festinis sive Verrianis sibi sumpserit (p. 44), id quod etiam nuper R. Agahd suspicatus est; cf. l. l. p. 122; 123 a

1) Cod. *burnum*; unde *Liburnum* Gelen., *Liberum* Meursius.

2) Cuius auctor non semel Varronis qui sunt antiquitatis libri consuluisse censendus est. Cf. Reitzenstein, Verr. Forsch. p. 22; Kriegshammer l. s. s. p. 121.

3) Quamquam Wissowa (Real-Encycl. vol. IV p. 1354; cf. etiam vol. II p. 2733), Teuffelius h. l. p. 982, Kahlius l. c. p. 738, Wessnerus in ed. expos. prisc. serm. in comment. Ien. vol. VI 2 p. 138 sq., denique Lerschius in ed. Fulgentii p. 80 sq. merito suspicati sunt hoc Fulgentii testimonium fictum esse.

med., p. 134 a med. Ipse vero quamquam aliquamdiu opinabar ex ipso Festo depromptas esse has priscae aetatis reliquias ab Arnobio, tamen singulis diligentius examinatis ac perpensis ea quae ad cultum inprimis pertinent Labeonis doctrinae attribuenda esse videri nunc quidem libenter his viris doctis concedo. Ex iis autem exemplis quae ex Cornelio Labeone ab Arnobio translata utique ad Festum referenda esse mihi videntur nunc potiora subiciam.

1) P. 257, 15; 19; 259, 18 *offa penita* (257, 19 *offa autem penita est cum particula visceris cauda pecoris amputata*) = Fest. p. 230, 21 *Penem antiqui codam vocabant, a qua antiquitate etiam nunc offa porcina cum cauda in cenis puris offa penita vocatur.* Cf. Paul. p. 231, 11. Tum Fest. p. 242, 25 *Penitam offam Naevius appellat absegmen carnis cum coda: antiqui autem offam vocabant abscisum globi forma, ut manu glomeratam pultem.* Cf. Paul. p. 57, 19 *caviares hostiae*[1]). — 2) P. 257, 15 *neniae* (*quid taedae, quid neniae, quid offae non vulgi sed quibus est nomen appellatioque penitae?* Cf. p. 259, 18). Nenia quid sit ipse explicat auctor: . . . *quod in secundo* (sc. nenia) *situm est, intestini est perrectio* (sic Reiff. Sab. *porrectio*) *per quam proluvies editur sucis perexsiccata vitalibus* (sic cod.). Qui locus quamquam variis coniecturis vexatus est aliique alia viri docti pro 'neniae' substituere conati sunt (velut Scal. et Ursin. '*teniae*') nil mutandum esse censeo, quoniam peropportune accidit, ut apud Festum in medio fere interpretamento lemmatis 'nenia' servata sint verba haec: p. 163, 1 Paul.: . . . *quidam aiunt naeniae ductum nomen ab extremi intestini vocabulo: Graeci enim νέατον extremum dicunt,* e.q.s. Cf. Fest. p. 161, 23. Haec autem significatio in universo sermone latino nusquam redit ac ne in lexicis quidem recentiorum usquam commemoratur. — 3) P. 257, 20 *polimina;* ipse addit auctor explicationem p. 257, 24 *polimina . . . sunt ea quae nos proles verecundius dicimus, a volgaribus autem assolent cognomine testium nuncupari* = Fest. Paul. p. 235, 9 *polimenta testiculi porcorum dicuntur quom castrantur* e. q. s. Cf. Fest. p. 234, 34[2]). — 4) P. 257, 12 *silicernium* (*apexaones hirciae* [sic cod.] *silicernia longaevi* [sic cod.][1])? *quae sunt nomina et farciminum genera hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus*) = Paul. p. 295, 2 (cf. Fest. p. 294, 18) *silicernium erat genus farciminis, quo fletu familia purgabatur* e.q.s.[2]). — 5) Ibid. '*hirciae*' lectionem quamquam codex praebet, tamen haud scio an corrupta sit haec ex '*hircei*' sive ut Paulus exhibet p. 114, 1 *ircei: genus farciminis in sacrificiis;* cf. etiam Paul. p. 105, 4 *ircens: genus farciminis.* — 6) P. 258, 11: . . . *hirae, quas plebis oratio illas* (sic Reiff. Scal.; cod. *illa*) *solet cum eloquitur nuncupare* = Fest. Pauli p. 101, 6 *hira, quae diminutive dicitur hilla, quam Graeci dicunt νῆστιν, intestinum est* . . . e.q.s. Propterea apud Arnobium '*hillas*' legendum esse censeo[3]). — 7) P. 258, 6 *caro strebula; non enim placet carnem strebulam nominare, quae taurorum ex coxendicibus demitur* = Fest. p. 313, 34 *Strebula Umbrico nomine Plautus appellat coxendices hostiarum, quas* [*Graeci μηρία dicunt, quae*] *in altaria in*[*poni solebant at Plau*]*tus ait in Fri*[*volaria* . . .]. Cf. Paul. p. 312, 5; Varro d. l. l. p. VII 67[4]). — 8) P. 67, 5 *polubrum* (cod. perperam '*colubrum*'; '*polubrum*' sine dubio unice recta est lectio) = Fest.

1) Cf. Plaut. Mil. v. 760 (III 1, 165) *offa porcina.*

2) Qua in re noli mirari, quod maluit Arnobius solito more formam 'polimen' pro 'polimentum'. Illum quidem verba in 'men' finientia adamasse alio loco iam notavimus (cf. augmen = augmentum; omen = omentum; salsamen = salsamentum; fundamen = fundamentum alia). — Prorsus alia significatione utuntur voce 'polimen' Fulgent. mythol. prooem. 25 (M.) *polimina frontis* (h. e. levor) et Apul. d. d. Socr. c. 23 (p. 172) *baltei polimina* h. e. splendor.

1) de 'apexao' et 'longavus' cf. ea quae supra exposuimus.

2) Quae vox quamquam apud alios quoque auctores legitur, tamen nusquam disertis verbis pro farciminis genere ponitur. Cf. Non. p. 48, 9 *silicernium est proprie convivium funebre, quod senibus exhibetur, Varro* e. q. s. Glossaria eodem fere modo explicant: cf. V 623, 43; 647, 28; *silicernium*: *περίδειπνον: λύχνους γὰρ ἅπτειν ἐν πένθει οὐ θέμις* II 183, 58; cf. II 394, 20; Varro Sat. Men. 303 (B.); Donat. ad Ter. Ad. IV 2, 48 (v. 587); Serv. Aen. V 92; Fulgent. expos. prisc. serm. 8 (p. 772 Stav.; p. 91 Wessner.). Cf. ea quae exposuit de hac voce Wessnerus in commentt. Ien. VI p. 109 sq. Tum etiam Conway (idg. Forsch. II 158; 166), qui putat '*silicernium*' dictum esse pro 'selicernium' (cf. seliquastrum = siliquastrum; Fest. p. 340, 10) ut significaret convivium, in quo sedent cenantes (Sitzmahl).

3) '*Hilla*' recurrit apud Plinium N. h. XI 200; farciminis genus significat apud Horatium sat. II 4, 60. Cf. Varro d. l. l. V 111 hila . . .; Non. p. 121, 11 (= Laber. com. frag. 23 R.).

4) P. 258, 3 pro '*cubula*' (?) voce ista obscura fortasse scribendum esse '*subucula*' non possum non assentiri Buechelero (Umbr. 62) nisus auctoritate Festi qui p. 309, 25 docet: *Subuculam Aelius Stilo et Cloatius isdem fere verbis demonstrant vocari, quod diis detur ex alica et oleo et melle* e.q.s.; ergo genus libi est.

p. 246, 2 [*polubrum: pelluv*]*ium in* [*sacrificiis vas, quod nos pelvem dicimus*]; cf. Paul. p. 247, 1; Non. p. 544, 20 confirmat Livium Andronicum et Fabium Pictorem hac voce iam usos esse. Cf. gloss. *polubrum* λέβης *i. e. caccabus* II 359, 5; *polybrum: in quo manus perluuntur* V 655, 10; v. Wissowa, Rel. u. Kult d. R., p. 400. — 9) P. 102, 27 *caelibaris hasta* (*nubentium crinem caelibari hasta mulcetis?*). De hoc sollemni apud Romanos usu solus disserit Festus ex Paulo p. 62, 16, huius exoletae consuetudinis varias aliquot interpretationes afferens: *coelibari hasta caput nubentis comebatur, quae in corpore gladiatoris stetisset abiecti occisique, ut, quemadmodum illa coniuncta fuerit cum corpore gladiatoris, sic ipsa cum viro sit,* e.q.s. [1]). — 10) P. 173 sq. narrat Arnobius usus Valerii Antiatis testimonio (p. 173, 12) fabulam, quomodo Numa rex Iovi fraude doloque elicuisset expiationem ritumque locorum fulmine ictorum. Valerii quidem Antiatis libros auctorem, studiosum atque impigrum imitatorem et expilatorem — ut etiamtum extiterint — volvisse, quis est qui putet? Qua in fabula nonnunquam (velut p. 174, 16) forma '*fulguritum*' (neutri generis) recurrit = bidental. Cf. Paul. ex F. p. 92, 17 *fulguritum id quod est fulmine ictum, qui locus statim fieri putabatur religiosus.* Cf. Non. p. 430, 24 (*fulguritum fulgure tactum vel exustum*). — Iam vero legitur apud Arnobium ibidem (velut p. 174, 18) *procuratio fulguritorum* (h. e. expiatio) = Fest. p. 245, 28 ubi ex coniectura certissima supplendum est: *procurationes sacra appellantur quae fulgur*[*itis locis, quo fulmina sunt con*]*iecta depellendorum mal*[*orum et procurandorum*] *bonorum causa fiunt.* Qui terminus '*procuratio*' quamquam saepius recurrit apud auctores velut de prodigiis, sceleribus expiandis dictus, tamen de fulguritis nusquam alibi ab auctoribus Romanis hac singulari significatione commemoratur. — 11) Ad exempla quae protuli accedunt alia non minus mirabilia: p. 163, 20 Fabius quidam memoratur, qui postquam fulmine ictus est, *pullus Iovis* (h. e. deliciae Iovis) factus esse dicitur (*et ut Iovis dicatur pullus, in partibus Fabius aduritur mollibus obsignaturque posticis*). Quae fabula de

1) Num huc referendus sit Ovidii locus ex fast. II 558: '*nec tibi .... comat virgineas hasta recurva comas*' merito dubitaveris, quoniam 'recurva' arcuatum quoddam capitis ornamentum indicare videtur. E Graecis unus Plutarchus de hoc more pauca animadvertit (quaestt. Rom. c. 87).

una eademque persona p. 245, 26 a Festo traditur: *pullus Iovis dicebatur Q. Fabius, cui Eburno cognomen erat propter candorem, quod eius natis fulmine icta erat; antiqui autem puerum, quem quis amabat pullum eius dicebant.* Cf. Paul. p. 244, 6. Placidus quamquam eandem hanc fabulam prodidit (gl. V 37, 23 = V 95, 26) tamen eam ex prorsus alio fonte nescio an antiquiore hausit: *pullum puerum in amoribus id est rhetoris qui Romae, unde Q. Fabius Eburnus quod natibus fulguratus erat, pullus Iovis dictus est* [1]). Etsi vero per se fieri potuisse non nego, ut apud alios quoque extiterit auctores illis temporibus haec fabula, vix quisquam credat ex his Arnobium notitiam habuisse; ac ne ex Placidi quidem antiquiore fonte duxisse haec originem puto. Nonne multo probabilius videtur Arnobium haec Labeoni, qui identidem Verrium excerpserat, debuisse? — 12) P. 95, 12: *quid in mundo faciunt bubones immussili buteones?* [2]). Cum his necesse est conferantur quae extant verba apud Arnobium p. 250, 14 *et quoniam volucres hostiarum quoque in numeris ponitis, cur non vulturios aquilas ciconias inmussilos* [3]) *buteones corvos accipitres noctuas* ... = Fest. Pauli p. 3, 5 *alites volatu auspicia facientes istae putabantur: buteo sanqualis immusulus aquila vulturius.* Iam vero alii loci Festini miram produnt similitudinem cum his Arnobianis; cf. enim quae leguntur verba p. 250, 16: ... *corvos accipitres noctuas* ... cum Festinis sub lemmate 'oscinum' p. 197, 3: *oscinum tripudium est ... cum cecinit corvus cornix noctua* e. q. s. et p. 197, 8: '*oscines*' *aves Appius*

1) Q. Fabius Vibulanus iste consul anni 311 factus ex hac re cognomen Ambustorum in gentem Fabiam traxisse dicitur.

2) Cod. per compendium exhibet: '*immussilib; teones*' (= immussili busteones); *busteo* sive *bosteo* (= buteo) formam testantur gloss. Placid. V 8, 13 = V 50, 15. Sed melior forma fuit sine dubio 'buteo', quae eodem cod. Parisino p. 250, 16 et a Festo p. 3, 5 et a gloss. Ps.-Philox. II 31, 52 firmatur. — Cf. Fest. Pauli p. 32 *buteo genus avis, qui ex eo se alit, quod accipitri eripuerit vastitatisque est causa his locis, quae intraverit ut bubo, a quo etiam appellatur buteo* (= Ps.-Philox. *buteo:* ὀρνέου εἶδος II 31, 52; cf. Dammann comment. Ien. V 44); Plin. N. h. X 21 et 135.

3) *Immusulus* (cod. utroque loco p. 95, 12 et 250, 16 habet '*immussilus*', pro quo Gelen. '*immussuli*', Sabaeus '*immustuli*' scripserunt. Optima autem forma consensu scriptorum indicari videtur: Festus Pauli p. 113, 16 et p. 3 habet *immusulus*; idem Ps.-Philox. II 78, 1 *immusulus* et Plin. N. h. X 20. — Cf. Fest. Pauli p. 112, 3 *immusulus: avis genus, quam alii regulum alii ossifragam dicunt*; adde p. 113, 16. Ps.-Philox. II 78, 1 hanc exhibet glossam: *immusulus:* εἶδος ὀρνέου (de qua conferatur Dammann l. l. comm. Ien. V 45).

Claudius esse ait quae ore canentes faciant auspicium, ut corvos, cornix, noctua; aliter quae alis ac volatu, ut buteo sanqualis aquila immissulus vulturius e. q. s. Quod omisit Arnobius p. 250, 16 voces '*sanqualis*' et '*cornix*', id inde fortasse explicari potest, quod alteram ipse non iam intellexisse putandus est et propterea *ciconiam* substituisse, alteram ideo neglexisse inserta voce *accipiter*, quoniam ei *cornix* nimis absurde iuxta *corvos* posita esse videbatur. Sed quid opus est multis? Neminem non concedere confido haec aliqua ratione aut ex Festo ipso aut ex libro a Festo derivato originem duxisse, quoniam absurdum videtur, ex ipsis Appii Claudii aut ex libris auguralibus repetere [1]. — 13) Nescio an huc pertineat locus iste corruptus p. 222, 2: . . . *et in caelo habitare dicendus est deus talis, ad cuius formam et speciem simulacri huius similitudo directa est, et videlicet ut hic iste ita illic ille sine reliquo corpore persona est et facies sola, fremibundus hiatibus torvis, dirus sanguineo de colore malam* [2] *dentibus suis comprimens* . . . e. q. s. Cum his cognata esse videntur quae sunt apud Festum Pauli p. 128, 12: *manduci effigies in pompa antiquorum inter ceteras ridiculas formidolosasque ire solebat magnis malis ac late dehiscens et ingentem dentibus sonitum faciens, de qua Plautus ait* (cf. Rud. v. 535 [II 6, 51]) e q. s. — Denique liceat ex indigitibus nonnulla afferre exempla quae ab Arnobio ex Labeonis libris translata ad Festum redire videntur, quamquam certi quidquam adfirmare non ausim [3]. Arn. p. 106, 1 *Picus* (*pater Fauni atque avus Latini*) = Fest. p. 246, 14; cf. Serv. ad Aen. X 76. — P. 173, 17 *Martius Picus* = Fest. p. 197, 12; cf. gloss. *Picus Martius:* δρυοκόλαψ III 319, 25; 360, 62. — P. 105, 28; 157, 14 *alibi Ops* (coniunx Saturni) = Fest. Pauli p. 187, 15. — P. 127, 15 *Pales* (*armentorum et pecorum gregibus Pales praesunt Inuusque custodes*) = Fest. Pauli p. 222, 12. — P. 147, 7

1) De avibus auguralibus cf. ea quae referunt Varro d. l. l. IV 76; Cic. d. nat. deor. II 160; de div. I 120; Plin. N. h. X 43; Serv. Aen. I 398; Mart. Cap. I 26; Ammian. Marc. XV 7, 8; Wissowa, Rel. u. Kult d. R., p. 457; Real-Encycl. sub *augures* p. 2333.

2) Hanc enim lectionem rectam esse puto. Reiff. codicis auctoritate nixus reliquit *malum*, quod sensu carere videtur, praesertim cum comparaveris cum loco illo Festino.

3) Cf. ea quae supra de ordine alphabetico, quem Arnobius p. 147 sq. sequitur, disputavimus.

Neniae (deae) = Fest. p. 161, 32; Paul. 163, 6 (Agahd l. l. p. 124 a med.); Varro teste Augustin. d. civ. d. VI 9. — P. 148, 16 *Murcidam;* cf. Paul. p. 148, 10; Varro d. l. l. V 154; Serv. Aen. VIII 636; Liv. I 33 (Agahd l. l. p. 124 ad fin.); Augustin. d. civ. d. IV 16. — P. 129, 1; 132, 14; 222, 14 *Iuno Cinxia* = Paul. p. 63, 9; Mart. Cap. II 149; v. Wissowa, R.-Encycl. III p. 2563; cf. Agahd l. l. p 123 ad fin. — P. 132, 13 *Iuno Fluvionia* = Paul. p. 92, 15; Mart. Cap. II 149; Augustin. d. civ. d. VII 2; 3. — Quibus etiam unum exemplum liceat addere maxime ad persuadendum aptum: Arn. p. 255, 9 *Telluri, inquiunt, matri scrofa inciens immolatur et feta.* = Fest. p. 238, 28 *Plena sue Telluri sacrificabatur* e. q. s. Cui rei probandae a Macrobio I 12, 20 Labeo disertis verbis auctor adfertur, quem dixisse Maiam deam eandem esse ac Terram, '*quod sus praegnans ei mactatur*'. Cf. Muelleneiseni collect. fragm. p. 5 l. l.; Serv. ad Aen. VIII 43, 84; Ovid. fast. I 671; IV 634.

Ex eis quae attuli apparere mihi videtur Labeonem vetustatis studia certe aliqua ex parte Verrio sive Festo debuisse: Verrium quidem maxime operam navasse explicandis vocibus pontificalibus obscuris atque oblitteratis vel leviter libros Festinos inspicienti facile elucet (cf. praef. Muelleri p. XIII, XVII; Reitzenstein, Verr. Forsch. p. 48 sq.; Wissowa, Rel. u. Kult d. Röm., p. 32) [1]. Unde autem censebimus Labeonem compilasse has, quas — sive iactantiae sive raritatis causa — continuo paene ordine (p. 257 et 258) profert Arnobius obscurissimas diversarum carnis generum significationes ad sacrificia spectantes? [2]. Quin explicationes quas nonnunquam vocabulis Arnobius addit, num suo ipsius ingenio istum hominem debuisse putabimus, quippe qui se ipsum non iam

1) Haec Verrius non ex ipsis libris pontificalibus exscripsit, sed grammaticorum testimoniis nititur. Cf. ea quae disserit de hac re Kretzerus l. l. p. 13. Quorum auctorum in numero locum haud mediocrem tenuisse videtur Veranius (cf. Fest. p. 289), qui teste Macrobio III 20, 2 scripsit 'de verbis pontificalibus'. Cf. Teuffel h. l. p. 393, 4; Reitzenstein, Verr. Forsch. p. 49, alibi. — Atque plane abhorret ab omni probabilitate, quod dicit Mueleneisenus p. 43 l. l. Labeonem, qui II fere saeculis post Verrium floruit, ad ipsos libros Tageticos, indigitamenta, libros pontificales rediisse.

2) Cf. p. 258, 16: . . . *quibus indidistis nomina obscura*; p. 257, 9: *quid sibi reliqua haec volunt magorum cohaerentia disciplinis* . . ?

intellexisse has voces confiteatur interrogationibus illis iteratis: *quid sibi haec volunt?* e. q. s. *quid est?* e. q. s. Atque quoniam supra iam miras illas inter utrumque similitudines indagavimus [1]), etiam cetera verba pontificalia ex eodem fonte — Labeone scilicet auctore — originem duxisse, omnium videtur probabilissimum [2]). Quod si statuemus, in proclivi esse opinor multa illa, quae apud solum Arnobium inveniuntur vocabula pontificalia indidem esse hausta. Quin etiam totam hanc diversorum sacrificiorum cascam disciplinam Labeonis opera magna ex parte inde originem duxisse putaverim. Unde enim fluxisse arbitrabimur exempli causa hanc vetustissimi ritus notitiam p. 103, 7 sq., ubi Arnobius agit de sacrificiis aulicociis (*cum Romulo Pompilioque regnantibus percocta plane ac madida concremarentur diis exta, nonne rege sub Tullo semicruda coepistis et leviter animata porricere;*? — Adde p. 190, 9: *deos, quos scribit Flaccus* [3]) ... *obruisse se cinere, qui sub ollula fuerat factus extorum* [4]). Cf. p. 266, 8 de lectisternio Cereris; p. 266, 4 de Iovis epulo, p. 266, 1 de simulacrorum lavationibus, de multis istis fabulis obscenis.

Quae cum ita sint, Arnobius quin Labeonis libros adierit iisque non pauca quae ad cultum sive mythologiam pertinent debuerit, quamquam dubitari nequit, tamen multa inveniuntur diversarum artium disciplinarumque specimina apud eundem Arnobium, quorum notitiam nullo modo ex Labeonis libris acquirere potuit. Qua enim ratione inde, ut exemplo utar, Plautinas et Catonianas exoletas voces indagare potuerit nescio. Prorsus vero improbabile videri illum ex ipsa diligenti lectione haec vetustatis vestigia corrasisse supra iam explicavimus. Quid ergo? Nonne probabile

1) Quarum aliquot Kahlius iam in Philol. suppl. V p. 198 attulit.

2) Velut p. 258, 12 *ruma*; p. 259, 4 *prosiciae*; p. 258, 14 *magmentum*; p. 259, 9 *augmentum* (= p. 258, 15 *augmen*); p. 257, 22 *omentum* (= p. 259, 8 *omen*; p. 82, 9 *tuccetum*; p. 257, 12 *apexao*; p. 258, 2 *fitilla*; p. 189, 1 *castus* (IV. decl.); p. 257, 17 *catillamen*; p. 155, 2 *suffimentum*; p. 176, 1 *suffitio*; p. 174, 11 *caepicium*; p. 264, 21 *vinum inferium*, alia, quae quamquam apud alios quoque auctores hic illic occurrunt vocabula tamen commodissimum in modum ex lexico vel glossario desumere potuit Labeo, unde ea exscripsisse Arnobium censebimus.

3) Alii Verrium, alii Granium Flaccum intellegunt.

4) Cuius pervetustae rationis sacrificiorum mentio iam fit in act. fratr. arval. tab. XLI p. CLXI: ... *sacrum fecerunt ollis* ... *et ollas precati sunt.* Cf. Plaut. Rud. v. 135 (I 2, 47) *aulam extarem*; Varro d. l. l. V 104; Fest. Pauli p. 23 *aulicocia exta*; gloss. *extar olla* II 66, 42.

est eum ipsum illum fontem uberrimum adiisse ex quo suae doctrinae magnam partem Labeo hauserat? Sic enim facile sperare potuit se Labeonem etiam superaturum esse. Neque enim intellego, qua quis expeditius celeriusque exoleta haec vocabula priscaeque aetatis propria in suum vertere potuerit nisi ex illo glossario.

At si quis miretur, quod magna horum priscorum verborum copia apud Festum, ut nunc est in manibus, desideratur, is secum reputet, librorum Festinorum maiorem praestantioremque partem a litteris A—M igni comesam interiisse. Praeterea ut iam Festus p. 218, 4 dicit, sibi propositum fuisse: ... *ex tanto librorum eius* (sc. Verrii) *numero intermortua iam et sepulta verba atque ipso saepe confitente nullius usus aut auctoritatis praeterire et reliqua quam brevissime redigere in libros admodum paucos*; ... ita altera epitoma a Paulo confecta iterum multa priscae aetatis specimina, tam insignia quam obscura recidisse quis est qui neget? [1]). Quae cum ita sint, exili tantum modo Pauli excerpta compensant perditarum schedarum copias uberrimas.

Hoc vero constat Verrium accuratissime de glossis Plautinis egisse (cf. ed. Odofr. Muelleri praef. p. XVII glossae Plautinae; Reitzenstein, Verrianische Forsch. p. 58 sq.), id quod etiam hodie multa illa excerpta Plautina satis demonstrant. De quibus perinde ac de glossis Catonianis (cf. Muelleri ed. p. XVII; Reitzenstein l. l. p. 56) Verrium diligentius disputasse apparet, item de multis Lucilii, Ennii, Pacuvii, Accii, Lucretii [2]), Vergilii locis. Quid ergo videatur verisimilius, quam ut Arnobium, quoniam glossaria illum adhibuisse consentaneum est, ex hoc opiparo antiquitatis tamquam promptuario data occasione exoletas sibi

1) Cf. ea quae scribit Paulus in epistola ad Carolum regem data p. 1, 7: *ex qua ego prolixitate superflua quaeque et minus necessaria praetergrediens et quaedam abstrusa penitus stilo proprio enucleans, nonnulla ita, ut erant posita, relinquens, haec vestrae celsitudini legendum compendium obtuli.*

2) Lucretium vero Arnobium certe quidem ex ipsa lectione novisse nequaquam negaverim; at tamen facile cogitari potest, illum, quanta usus est festinatione in scribendo, Lucretianae quoque musae specimina ex parte ex glossario sive ex alio quodam fonticulo desumpsisse. Quamquam de hac re dubitari posse concedo. Cf. verba quae leguntur in epistula M. Antonini imperatoris ad Frontonem data (p. 105, 4 Naber): *mitte mihi aliquid quod tibi disertissimum videatur, quod legam vel tuum aut Catonis aut Ciceronis aut Sallustii aut Gracchi aut poetae alicuius*; ... *etiamsi Lucretii aut Ennii excerpta habes* ...

voces sine ullo labore desumpsisse statuamus? Quippe quorum vocabulorum magna pars etiam hodie ibidem inveniatur.

Hanc meam coniecturam nescio an alia quadam ratione firmari viri docti concedant. Ut enim in Gellii, Nonii, Servii, Macrobii aliorumque grammaticorum libris misera aliquot doctrinae Festinae frustula quacunque ratione servata esse concedendum est, ita inprimis posterioris aetatis glossariorum auctores quin ex Festo sive ex ipso Verrio sive ex fonte inde derivato multa hauserint non est cur dubitemus. Maxime vero auctorem glossarii Pseudo-Philoxeni quod vocatur omnium quae aetatem tulerunt praestantissimi (in corpore glossariorum primo loco ponitur) Festum expilasse multaque inde in Graecum vertisse iam demonstravit Dammannus (de Festo Pseudo-Philoxeni auctore in commentt. Ien. V). Nec desunt rara vocabula, quae quamquam apud Festum interciderunt, tamen apud Arnobium et Pseudo-Philoxenum redeunt. Quo ex utriusque consensu licebit conicere haec quoque inter luculentas doctrinae Festinae reliquias esse numeranda. Qua in re satis habeo nonnulla tantum attulisse quae inprimis hanc mihi moverunt suspicionem: p. 263, 14 *bria; bria:* εἶδος ἀγγείου II 31, 19 [1]); p. 67, 1 *calautica; calautica:* εἶδος ζώνης II 95, 14; p. 82, 9 *tucceta: tuccetum:* ζωμὸς παχύς II 202, 53; p. 257, 12 *longao* (Reiff. *longavus*); *longao:* κολέντερος II 124, 22; p. 236, 18 *caliendrum* (cod. *caliandria* n. pl.); *cal.:* κόσμιον κεφαλῆς II 96, 20; p. 267, 11 *salapitta; s.:* ῥάπισμα II 177, 25; p. 78, 29 *bolonae; b.:* μεταπρᾶται, παλιγκάπηλοι II 30, 41; p. 126, 23 *gnaruris* (ex coni. Reiff.); *gnarurem:* γνώριμον II 35, 8. Quae omnia vocabula multaque alia, quae longum est enumerare, apud Verrium sive Festum locum olim habuisse probabile duco.

1) Haec quidem ex Festo ad verbum translata esse maxime verisimile videtur, praesertim cum comparaveris haec: *buteo:* ὀρνέου εἶδος = Fest. Pauli p. 32 *genus avis* (Arn. p. 95, 12; 250, 17); *immusulus:* εἶδος ὀρνέου = Paul. p. 112, 3 *avis genus*. Cf. Dammann l. l. p. 44 sq. — Simili ratione vertit Ps.-Philoxenus II 122, 24 *lepistra* (lege: *lepista*): εἶδος χύτρας = Paul. p. 115, 6 *lepista: genus vasis aquarii*. Cf. Damm. p. 42. — Ps.-Philox. 62, 14 *epicrocum:* ἐσθῆτος εἶδος = Paul. p. 82, 13 *epicrocum: genus amiculi*. — Ps.-Philox. 27, 58 *bacar* (Scal. p. 28, 26 *baccar*): εἶδος ἀγγείου = Paul. p. 31, 2 *bacar: vas vinarium simile bacrioni*. Cf. Damm. p. 37, alia.

Ad sententiam nostram probandam etiam aliud liceat adsciscere argumentum. In tota enim hac tractanda quaestione ubique iam apparuisse confido, quantum ex auctoribus Africis inprimis Apuleius priscorum verborum amatorem vel potius adfectatorem se praestiterit. Illum quidem, ut fucando exornaret priscae cascaeque aetatis vocabulis sermonem, impense operam dedisse, viri docti, inprimis nuper Gatscha (Quaestionum Apuleianarum capita III. Cap. I de Apuleio studioso poetarum Latinorum lectore; disser. Vindob. vol. VI p. 141 sq.) exposuerunt [1]). Gatscha vero Apuleium omnes quos imitatus est auctores diligentissime legisse cum ex hac re concludit, quod complura scriptorum fragmenta a solo Apuleio tradantur (p. 143 ad fin.) — cui argumento parum inesse ponderis quam ut nobis persuadeat, haec esse omnia ex ipsa scriptorum lectione nata, neminem non cognoscere arbitror — tum inde maxime autumat, quod multae istae locutiones paulum mutatae ac detortae apud auctorem inveniantur, quas scilicet ex memoria attulerit. Nonne autem, quaero, veri parum simile videatur eum, qui de se ipse profitetur (M. I 1) [2]): „*mox in urbe Latia advena studiorum Quiritium indigenum* (sic Hildebr., cod. Flor. 3 et Bemb. 'indigenam') *sermonem aerumnabili labore nullo magistro praeeunte aggressus excolui. En ecce praefamur veniam, si quid exotici atque forensis sermonis rudis locutor offendero*“, — etsi hominem diligentissimum eum fuisse merito putaveris — in veterum scriptorum studiis adeo versatum esse, ut eorum verba locutionesque quaslibet quotque vellet in sermonem reciperet in scribendo? Multo vero probabilius puto, illum auctoribus perlectis aliorum rhetorum exemplo usum excerpta sibi fecisse atque, cum inde quaslibet sibi eligeret locutiones, consulto mutasse et mutilasse, ne quis diligentius legens primo obtutu imitationem agnosceret. Quamquam illum Lucretium, Vergilium, Ovidium aliosque penitus accurateque lectitasse nunquam negaverim. Sed licet sequamur Gatschae sententiam, tamen multa indicare videntur auctorem praeter legendos ipsos scriptores minime sprevisse ex

1) Cf. Kretschmann, De latin. Apuleii, Regimont. 1865; Piechotta, Curae Apuleianae, Vratisl. 1882; Koziol, Der Stil des Apuleius; O. Erdmann, De L. Apuleii Madaurensis elocutione, Stendaliae 1864; Goetz in Act. soc. phil. Lips. VI p. 325.

2) De quibus conferas, quae explicat Erwinus Rhode, Mus. Rhen. XL (1885) p. 81.

promptuario expeditiore doctrinam vetustatis sibi acquirere. Quamquam hanc quaestionem G a t s c h a plane praetermisit examinare, tamen eam ad propositum nostrum alicuius momenti esse apparet. Neque enim pauca extant quae rara vocabula Arnobio et Apuleio communia sunt. Haec tantum delibabo: p. 32, 11 *querquera*; cf. Apul. Apol. p. 476 (c. 35) *quercerum* (neutri generis); v. Fest. Pauli p. 256, 11. — P. 258, 11; 259, 8 *hira* = Apul. d. dog. Plat. p. 213; Fest Pauli p. 101. — P. 82, 9 *tuccetum* = Apul. M. IX p. 636; M. VII p. 466 *tucceta concinnare;* cf. apud Arn. p. 184, 7 *cinnus* (= *κυκεών*). P. 29, 25; 32, 11; 34, 12 *vitiligo* = Apul. Apol. p. 508 (c. 50); Fest. Pauli p. 369; cf. glossar. — P. 263, 14 *bria:* cf. Apul. Apol. p. 526 (c. 59); Charis. I 83, 16; Ps.-Philox. II 31, 19. — P. 196, 14 *oggerere* = Apul. flor. III c. 17 (p. 77). — P. 5, 1; 185, 13; 200, 7 *surire* (p. 5, 1 cod. *esuriunt;* Ursin. omnium consensu '*suriunt*' restituit. '*Animalia terris sueta atque in aquis de egentia non suriunt non concipiunt?*' Cf. Fest. p. 310, 15: . . . '*ita ut opprobrium mulieribus inde tractum sit cum subare et † subire*' (lege scil. *surire*) *dicuntur* [1]). Apulei. in Apol. p. 481 (c. 38) *quoties feminae subent, mares suriant.* — P. 147, 12 *exos:* cf. Apul. M. I p. 21 *exossus;* Apol. p. 551 (c. 74) *exossis.* — P. 174, 4 *aviditer* = Apul. M. IV p. 251. Cf. Placid. V 7, 19 = V 49, 5 [2]). — P. 63, 21; 99, 15 *uniformiter* = Apul. Ascl. p. 286 (c. 2). Nunc vero dicat quispiam Arnobium ex Apuleii variis libris hausisse. Quod tamen prorsus videtur improbabile primum ex eo, quod supra iam explicavimus, neminem scilicet sibi posse persuadere, haec antiquitatis specimina ex auctorum diligenti lectione esse petita.

---

1) *Subire* istud corruptum esse ex *surire* nemo non intellegit omnibusque viris doctis probatur haec lectio, quippe quae ultro stabiliatur glossa Ps.-Philoxeni: *surit: καπρᾷ* II 193, 51. Quod vocabulum prorsus desideratur apud ceteros auctores exceptis Arnobio atque Apuleio; ac ne apud Catullum, Martialem, Iuvenalem quidem legitur, qui nunquam veriti sunt vitia et pravitates hominum iustis nominibus notare.

2) De nonnullis adiectivis Plautinis velut p. 121, 21 *macilentus* = Apul. Apol. p. 533 (c. 63); p. 258, 26 *opiparus* = Apul. M. X p. 702 d. d.; Socr. p. 171; cf. L a n d g r a f Arch. IX p. 563; p. 203, 7 alibi *propudiosus* = Apul. Apol. p. 552; p. 199, 12 *meticulosus* = Apul. Flor. 2; p. 178, 18; 202, 15 *scitulus* = Apul. M. II p. 101; III p. 201; p. 486 alibi certi quidquam adfirmare non ausim. Quamquam ea primum ab Apuleio iterum in sermonem recepta esse videntur, cuius exemplum ceteri scriptores Africi secuti sunt.

Tum adeo multa inveniuntur apud Apuleium, quae si legisset Arnobius facile fieri potuit, ut in suum verteret. Ceterum si excerpsisset Apuleii libros, non dubito quin planiora eius rei vestigia indagari atque perspici possent. Quid ergo? Nonne rectius statuemus utrumque eodem modo et ex eisdem fontibus orationem suam exornasse?

At dixerit aliquis Arnobii temporibus certe etiam alia extitisse lexica atque collectanea quae quis adhibere potuerit, ideoque nimiae videri audaciae, si quis de solo Verrii sive Festi glossario cogitet: velut *Caesellii Vindicis* (cf. Gell. VI 2, 1: . . . '*in illis celebratissimis commentariis lectionum*' . . .) lexicon alphabetico ordine digestum tum etiam viguisse consentaneum est [1]). Quem thesaurum cum similibus adiisse Arnobium non potest refutari: quamquam sprevisse eum auctoritatem Verrii vel Festi certe multo videtur improbabilius.

Sed satis iam de hac re: in qua tractanda si non semper recte iudicaverimus velim ignoscas atque in memoriam revoces Horatianos illos versus II Epist. 3, 348 sq.:

Nam neque chorda sonum reddit, quem volt manus et mens,
poscentique gravem persaepe remittit acutum,
nec semper feriet quodcunque minabitur arcus.

---

1) Certe mentionem facit Caesellii Arnobius p. 41, 20: .... *quamvis Epicados omnes Caesellios Verrios Scauros teneatis et Nisos.*

VITA.

Natus sum Waltherus Henricus Tschiersch a. d. V. Id. Febr. anni 1879 Luckaviae Lusatorum patre Ottone, matre Gertrauta e gente Hoppe orta, quam immatura morte absumptam valde doleo. Fidem confiteor evangelicam.

Litterarum elementis imbutus Costrini Marchicorum ibidem gymnasii, cui per 24 annos pater rector praeerat, discipulus sum factus anno 1888. Maturitatis testimonio instructus anno 1898 Ienae studiis philologicis me dedi, ubi per tria semestria interfui scholis virorum doctissimorum Goetz, Hirzel, Liebenam, Delbrueck, Wilhelm. Deinde Berolini sex menses audivi vv. cll. Diels, v. Wilamowitz, Vahlen, Lasson. Tum Gryphiswaldiae magistri mihi fuerunt viri illustres Gercke, Kroll, Preuner, Reifferscheid. Vere anni 1903 Ienam reversus praeter viros doctissimos, quos supra memoravi etiam usus sum magistris clarissimis Baentsch, Vollers, Noack, Pick, Gelzer, Eucken, Liebmann, Michels, v. Dobschuetz. Sodalis proseminarii philologici per duo semestria fui, seminarii per ter sex menses moderantibus vicissim Goetz, Hirzel, Gelzer. Ad exercitationes Hebraicas Baentsch et Vollers, numismaticas Pick, palaeographicas Goetz, ad alias alii viri docti benigne me admiserunt.

Quicunque vero me docuerunt et gymnasii praeceptores viri benevolentissimi et universitatis quanta in me docendo usi sint humanitate semper recordabor pio gratoque animo. Inprimis vero gratias ago debitas Georgio Goetz, qui studia mea summa benevolentia adiuvit.